
REGVLA

ET CONSTITVTIO-nes fratrum ordinis Sanctissimæ Trinitatis.

REDEMPTIONIS Captiuorum, nuper recognitæ & in multis adauctæ.



HISPALI.

APVD ALFONSVM Escribanum, via Serpentina.

1573.

Soi del P.e Fr. Juan del Pino.

HIC EST ORDO APPRO



BATVS NON A SANCTIS FABRICATVS SED A SVMMO SOLO DEO.

FRATRIS DIDACI DE Auila Ordinis sanctissimæ Trinitatis, filij domus Hispalensis, Epigramma.

DVM sua solicitis versans præcordia curis,
mortaliq́; premens anxia corda metu.
Dum trahit à misero sitientes pectore voces,
deficiens Zefyri mollior aura sibi.
Lisymachus rigido lachrimans se tradidit hosti,
posset vt irriguo fonte leuare sitim.
Qui postquam expleuit largo præcordia potu,
dicitur his miserę verba dedisse modis.
O decies breuitate sui miseranda voluptas,
cuius in exortu tam cito finis adest.
O mortalis homo si te sitis improba vexat,
si rabiosa quatit viscera pulsa fames.
Ebibe mellifluos sitienti pectore potus.
quos noster docili dat tibi corde liber.
Perlege perpetuæ quisquis documenta salutis,
si paradisiacum tangere quæris iter.
Inuenies cupido quæcunq́; poposceris ore,
inuenies superam, qua tuearis, opem.
O nonies decies q́; decem speciosa voluptas.
quæ non est aliquo deperitura die.

OBSERVANDO AC ADMODVM REuerendo Patri Magistro, fratri Francisco de Montilla, Prouinciali dignissimo Prouinciæ Bethicæ ordinis sanct. Trinitatis, frater Didacus de Auila, Hispalensis domus filius, perpetuam fœlicitatem, ac filialem obedientiam.

NON POSSVM non laudare (Pastor vigilãtissime) celsum istum & erectũ tuum animum limosis squallentis æui fecibus purgatum, quẽ eis rebus perpetuo applicas, quas ingredi sine casu aliquo aut prolapsione possis: quæq; in luctum tandem recidere non valeant ex lætitia & voluptate. Quod cum tuo animo infixum immotumq; sedeat, inanes honores despiciẽs qui tanquam flosculi decidunt diuturni esse non possunt: discordiarum à nobis excludis prædulcedine fellis venena, eorũ fœditatem diligen-

diligenter expurgans. Cuius cum rei cupiditate totus exardescas,quod in exorta tempestate fidi naucleri faciunt,à te nō alienum existimans,purum ac lympidum diuinæ Philosophiæ liquorem nostris cupiens animis instillare, ne quadam insana mollicie auram perniciosissimus Ecclesiæ deuastator aspirare,placidoq; murmure aures permulcere videretur & in mentes improuidas obreperet: cœlestis nos lactis fermēto imbuis & nutris. Cum quo nec suauissimus & omni dulcedine repletus (vt poetarum vtar testimonijs) cibus nectareus,nec ambrosia mirabilis,qua qui vescebatur, diuinus ac immortalis iudicabatur,poterit cōparari. Quo nihil dulcius,nihil suauius, nihil deniq; iocnndius. Quod certe religionis semina pulcherrimis institutis & documētis pullulantia ita nutrit & fouet,vt (quod futurum sperabamus)tua industria & lactis dulcedine quotidie magis ac magis germinent,floreant,fructicentur, & augeātur. Nec enim inter eos numerandus es,qui cōmissi sibi gregis obliti in media se vitiorū turba collocant, & volucrem fortunā magni faciūt. Quis enim licet rationis expers,omni iudicio remotus,hominis qui cū ea quæ pro tuenda religione à te gesta sunt in memoriā reuocauerit,cū tuū istū

excellentiſsimum animū, ſingularem tuā prudentiam, fidem, religionem, magnas, excellentesq; virtutes rectè cognouerit, tot tātasq; fœlicitates noſtris fuiſſe temporibus, tibi tāti boni tribuens honorem, non miretur & ſtupeſcat? Sed quid ego ineptus tantis immoror? Si enim Populus Romanus Camillo illi fortiſſimo ac ſapientiſsimo viro, beneficium in ſe collatum mutuis officijs perſoluere non potuit, qui quidem remp. Romanam à Gallis oppreſſam in extremam perniciem adductam, nudam & acerbiſsime ſpoliatā, toto deniq; corpore ſauciā ſua virtute depulſis barbaris priſtino candori reſtituit: quæ beneficia cum tuis paria eſſe poterunt, qui non modo documenta & conſtitutiones innouatas, ſed tot annorum iniurijs intermiſſas: non modo iactatas, ſed penitus extinctas in priſtinū nitorem velut ab inferis reuocaſti? Quorum beneficiorū qui immemor fuerit, donec hominum artus ſpiritus rexerit, quandiu ſanguinis vlla pars in corpore calebit, ut eiuſdem memoria ex mortalium animis radicitus euellatur, abſq; dubio demeretur. Vale Pater optime & Deus te Patrem ac Patronum nobis ac ſacræ religioni noſtræ ſoſpitem velit eſſe.

Fra-

FRATER

FRANCISCVS DE Montilla sacræ Theologiæ magister, Prouincialis prouinciæ Bethicæ, ordinis sanctissimæ Trinitatis, vniuersis fratribus in Christo dilectis salutem.

CVM PECVLIARE religiosi munus sit, non ea tantum decalogi præcepta custodire, sed etiam cõsilia quæ Christus seruator noster nobis, qui in perfectionis culmē conscendere profitemur, reliquit obseruanda: summa ope niti decet, ea omnia, veluti totius religionis basim atq; fundamētū in qua omnis actio christiana fulcitur, in memoriā reuocare: reuocata facere, & facta prædicare: ducē Christum redemptorem nostrum sectantes, qui prius cepit facere, quam docere. Cum ergo fieri non possit, vt quis quicquam operetur, aut doceat nisi prius illud edificat: visum fuit in capitulo Hispali celebrato nouam atq; perfectam viuendi normā præceptis & sanctionibus statuere tum ex regula nostra: deductis tū etiam

ex

ex patrum antiquorum monimentis:quas & reuerendus admodum frater Petrus Arias in sacra Theologia magister,autoritate summi Pontificis illi cõmissa,miro ordine summa breuitate,maturo præhabito consilio constra xit.Et nos qui vicem & totius huius Bethicæ prouinciæ autoritatẽ gerimus,perpetuo obseruare etiam cum iuramento promisimus. Quare vos obsecro (patres mei) atq; obtestor:vt nõ semel,sed iterũ atq; iterum perlegatis:& tanquam pocula animæ salutaria probibatis. Nõ quidem amara sunt,sed mellis fauo dulciora:non onera grauia,sed leuia:non præmium temporale & caducũ secuturum est:sed æternum & perpetuum,si quidquid in eis cõtemplemini,opere perficiatis.Quid enim prodest,leges condere: præcepta stabilire: multa polliceri:si neq; eorum minimum custoditur? quorsum illa abiectio&propriæ libertatis abnegatio,si erecto incedẽtes collo,nostrisq; ductis desiderijs in præfectos nostros reclamemur,iustaq; eorũ paruipendamus? Quid emolumenti animæ saluti speramus, si post illam solẽnem paupertatis promissionem statim diuitiarum copiam anhelemus,&manibus atrectemus vtrisq;? Quid illa animi &cordis mũdities deo nobis consecrata,si obcœnas mũdi

volupta

voluptates desideremus? in eisq; veluti in volutabro reuoluamur? Quid patrum nostrorū rigidi labores: vita solitaria, in speluncis montuosis cohabitatio: si nos delitias affectemus? vitā degamus spaciosam? in periculosoq; hominum concursu demoremur? Quid vestes de sede cœlorum alta emissæ: si demissos mentis oculos in terram habeamus? Quid beatissimæ Trinitatis cognomen & titulum gloriamur, si votorum Trinitatis obseruantiam nō meminerimus? Memētote (Patres) Loth vxorem de Sodoma fuisse egressam, ab incendioq; illo liberatam, in salis tamen naturam conuersam. Quia conuerso retro capite, oculos in ipsam Sodomam cōiecit. Caueamus igitur vt iam mūdo semel contempto, oculos in ipsum qui cito transit, vertamus: sed in Deum optimum qui in æternum manet defigamus.

valete. &c.

(?)

INSTITVTIO
SIVE FVNDAMENTVM ordinis sanctissimæ ac indiuiduæ Trinitatis, de redemptione captiuorum.

REGIO EST IN GALLIA *ad Orientem solē, prouincia nomine in qua mediocri genere oriundus Ioãnes de Mata futuræ solitudinis: præsagam appellationem tulit. Mata enim (vt vernaculus gentis sermo fert) dumum significat. Enim vero in rubis & siluaticis locis vir postea sanctus habitauit. Nam secularibus primum literis eruditus: sacras theologiæ institutiones postmodum est assecutus. Quarum cum esset professor: mundi huius vanitatē vehementer fastidiuit. Vnde & Abrahæ exemplo: populi sui & maternæ domus oblitus: prouinciam deserens, in interiorem Galliæ Belgicæ terram profectus, Deum frequētius orabat: ostendi ei virum quempiam solitudinis amicum: apud quem viuere solitarius posset. Pergens igitur postquā in agrum meldensium flumine materna traiecto venisset, fama referente cognouit: eo regionis tractu Anachoritā stupendæ austeritatis & abstinentiæ virū incolere. Quo nuncio lætatus Ioannes duce itineris assumpto: mox ad hominem penetrauit. Est vicus montiuagus (quem alliferum ab allijs quæ ibi seruntur nimia frequentia vocant) loco demisso*

misso & palustri memoribusq; circumscepto. Circa hunc duobus passuum millibus editus, mediocriter mōs est: dumosus & silua impeditus: ubi Felix hæremita degebat: breui tuguriolo, & mendicato pane contētus. Inuentum quem desiderabat: Ioannes hominem deuote salutat. Et tu inquit Felix salue hospes: & nostrum si libet habitaculum ingredere: ubi salutari confabulatione quam obrem adueneris, cognoscam. Ingressus umbraculum postquā una consederunt, Ioannes ad hunc locutus est modum. Peregrinus ex prouinciā uenio, & patriæ uale dixi: ut me carnis illecebris abdicarem, & sequerer Christum, qui omnia propter ipsum relinquentibus: diuitias incorruptibiles pollicetur. Tedebat me fastus uanitatis: cuius finis mors est, & perditio sempiterna. Recordatusq; Dauidici facti cuius in psal. meminit dicens. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Quærebam anxius solitarium locum, & æqualem quempiam meis uotis uirum: ubi conuersatione pia hāc fragilem conditionem uitæ possem erigere, petulantem lasciuiamq; macerando carnem, ut immaculatum Deo custodirem spiritum. Verax enim consultor & magister est Christus: cum inquit. Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam. Nam prope mundo adesse: uoluptatūq; eius adhuc nitorem olfacere: illecebra est peccati, & præcipitium in mortem, quod difficile cauet qui hominum conuictu lætatur. Cum econtrario ab ijs auertere oculos: auellere animum, quæ caro blanditur: quæ promittit mundus: quæ boni suadet inimicus, & indiuiduus hostis quam maxime conducat animæ commodo eius atq; saluti. Cuius tu rei sapiens Felix,

ad monitore non eges:eam etenim ætatem agis, atq; ita solitariam exercuisti vitã, vt hæremitice vite fœlicitatem à te potius discere: quã te mihi doceri oporteat. Vna tecum vt discipulus cõuersari, te sequi vt comes: cõuiuere vt sodalis, si permittis, desidero. Ad hæc silens Felix non prius respondens quam humi procumberet, cum Deum orasset, sic inquit. Faustus sit hospes, & vtriq; nostrum Felix tuus ad me aduentus. Deus est qui te docuit fugere ollas carniũ & delicias Egypti, petereq; desertum, vbi corporis voluptatibus auulsus spiritu viuas, mente incipias poßidere Deum & inde ad cœlestem patriam quo te vocat valeas proficisci. Non enim est nobis in terris (vt scribit apostolus) ciuitas manens: sed aliam quam per fidem & spem adepturi sumus, ardẽti onimo nos præstolari est necesse. Ab hac fallacißime quæ in mundo sunt vanitates nos abducũt: illaqueãtes perituras animas, non aliter quam si cum corpore interirẽt. Sed quis ad solitariam te vitam spiritus prouocauit, diligenter considera. Te meminiße velim Christi parabolæ quam de sato semine discipulos edocuit: ne similis fias illi, quod secus viam cadens cœli volucres rapuerũt. Secus viã est qui nondum firmatus animo conuersionem à peccatis facillime profitetur, sed subeunte mundi desiderio à volucribus cœli idest dæmonibus proteruis surripitur. Nõ enim est (teste Christo) aptus regno dei, qui posita ad aratrum manu: retro aspicit. Si te iubat (ò hospes) & mecum in hac vita quam viuo sobrietate permanere firmißime decreuisti, te Deo auspice in contuberniũ admitto: & hæc dicẽs Ioãni osculum dedit. Ipsi deinde mandata Dei secuti, pari & consentiente in bonũ animo, annos tres in solitudine vixerũt.

Interim

Interim diffundebatur suauis odor nominis eorum, & venie̅tibus ad eos salutis pabula verbo & opere ministrabāt. Sed postmodum diuino afflati spiritu, ceperunt inuice̅ quæ rere: quis illis cōmodior vitæ modus esse posset. In solitudine quidem silentium & quietem esse liquet. Sed in ea viue̅di libertate absq; diffinita regula, & ligitimis institutis cō tingere errorem posse: dum cōcupiscentiæ non satis resistitur: dum sibi quisq; lex est, nulli pastori obnoxius. Naturā hominis fluxam nisi ducatur parum stabilitatis habere, sed lasciuire et vagari: ferocis instar quadrupedis, quæ loris et fræno libera est, experime̅to cōprobatur assiduo. Vtile propterea esse censeretur, pastoris administratione regi, qui velut ad clauum deputatus nauta in surgentibus auris nauem inter fluctus cautione moderetur, qui inter serena & trāquilla oscitante̅ & pigram nostrā excitet cōditione̅, & stimulus vrgeat calcitrante̅. Cū hæc per timoratam cōscie̅tiam crebro repeterent, post longā vigiliā fessos sopor oppressit. Quiescentibus cœlestis nuncij admonentis visus apparuit, Romanum adire Pōtificem, quippe qui christianæ cōuersationis interpres sit, accepturos inde certā sui propositi lege̅, vitæq; regularis normā. Excitati sopore leui, ambigentesq; illusione, an certum ex superis esset orema, dum secu̅do, atq; tertio eu̅dem visum accipiunt, creduli deniq; veram rem esse quam vidissent, Romam petere constituere. Pergunt igitur per duram hyeme̅ ferue̅tes charitate viri, & ad vrbem vndecimo Kale̅das Februarij peruenere. Per idem autem tempus, Innocentius tertius vir equidem doctrina, & regendi arte scite eruditus, apostolicæ sedi præerat. Ad quem auditione impetrata sic Ioannes

(quoniam literatior erat) locutus est. Scimus equidem (beatissime pater) amplitudinem tuam nostræ tãtum super eminere paruitati, quantum altißima pinus superior est genestis. Ac tamẽ legis doctor, & ouiũ pastor appositus, paruo solet, sicut & magno benignas adhibere aures. Quod tu (pastor sancte) de more humanitatis tuæ nobiscum egisti. Galli sumus filij sanctitatis tuæ, quorum apud te aduẽtus causam audies serie ista si libet. Eramus pariter in hæremo, solitariam vitam agentes, & quatenus nostræ fragilitati desuper à cœli numine est concessum, diuinis paruimus mãdatis. Timorati tamen semper eramus, ne parentem omnium Deum fallacis inimici inducti insidijs offenderemus, propterea quod nullo duce directi liberius viuamus. Itaq; in hoc cogitatu diu, multũq; anxij, & crebro idẽ verbũ vna faciẽtes, nocturna sumus apparitione admoniti, ad tuã sanctitatẽ venire, cui supplices porrigimus preces, vt qua soles alios sapientia, & autoritate regere, nos de salutis expeditiori via dubios cõsoleris: & paterno prosequaris fauore. Nec vana nos extimes allucinatione abduci, aut leui phãtasmate deceptos, probauimus quippe secũdũ Christi disciplinam apparẽtem in somnis spiritum, & tertio tandẽ hæc monẽti credulitatẽ nostrã accomodauimus. Tua igitur sapientia examinet quæ serui tui humiliter loquũtur, & cupientes Christo viuere, & obsequi, filios cõsilio, lege, apostolicoq; instituto cõfirma. Hæc locutus Põtifex, hæremitas libẽterq; audiuit, & se quæ narrassent cõsideraturũ respõdit, cupereq;, Dei volũtatẽ se exequi, cũ nulli fas sit resistere ipsi. Manebitis (inquit) apud me (filioli) & vobis quod necessariũ fuerit faciã exiberi. Datũ est illis iubẽte Innocentio

centio in ædibus Pontificis diuersorium, donec secūdū Dei ordinationem placeret Pontifici eos ad se accersiri. Stetit Pontifex diu cogitabundus, & de hæremitarū petitione vocatis Cardinalibus consilium diligenter capit. Erant in vrbe præsentes Ioānes Albaneñ. Io. Sabinicñ, Nicolaus Tosco lañ. Cardinales Episcopi, Oentius sanctorū Ioānis & Pauli, Petrus sancti Marcelli, Benedictus sanctæ Susannæ, Rogerius sanctæ Anastasiæ Cardinal. præsbiteri, Gregorius sancti Georgij ad vellus aureū, Ogdo sanctorū Sergij et Bachij Ioānes sanctorū Cosmæ & Damiani, Pelagius sanctæ Luciæ ad septa solis Cardinales Diachoni. Stat omniū sentētia, diuinitus aliquid agi: nec negligēdū esse quod Dei spiritus reuelasse videretur, Deūq; orādū esse, si forte vberius suā aperiret voluntatem. In quā sententiā veniens Innocētius & ego (inquit) fratres rem diuinā cras assistētibus vobis faciā vos interea purgatis confessione animis propitiū vobis Deū efficite, ipse integra mēte Dei numen inuocabo, quem inuocātibus se in veritate prope adesse diuinus Psaltes cōmemorat. Porro hæremitis (vt idē faciāt) mādat. Qui patrū iussionibus obediētes, noctē in sctīs oratiōibus perpetuā duxerūt. Crastina die erat ad quinto Kalend. Februarij, qua festū btē Agnetis secūdo Ecclesia celebrare cōsueuit. Itaq; paratis de more adsacrificiū in lateraū. tēplo altaribus, sanctus Pōtifex clero cōmitatus, procūbentibus humi ad oratione hæremitis dū cōsecratā hostiā circūstātibus ostēdit, videt Dei angelū supra arā sequēti forma imminētē. Cādida veste indutus, bicolorē ī pectore crucē gerebat, idest rubrā & coloris cœlestis. Tenebat cācellatis manibus diuersæ cōditionis homines: dextera quidem christianū crucem

 præfe-

præferentem, sinistra sarracenum colore Ethiopē, tāquam alterum pro altero cōmutaret. Visus est pontifex dum hæc contemplatur esse in raptu causam tamen nescientibus qui aderant, oblato sacrificio iocundo vultu, Pontifex quæ sibi desuper ostensa eram illis enarrauit, gratias deo agens, qui suas & venerabilium fratrū suorum preces exaudiuisset. Moxq; candidas, instar earum quas viderat, vestes & crucem concinnari iubet. Et Ioannem Felicēq; ob vitæ merita longa oratione laudatos religiosis vestibus induit, cruce superadiecta. Indumentorum quoq; significationē interpretatus candor inquit. O filioli conscientiæ puritatem atq; mundiciem qua fulgere vos decet exprimit. Crux vero qua parte rubea est feruorem charitatis in Deū signat, altera quæ contusæ carni similis est, Christi passionis memoriā præfert, vt nostræ ab inferis redemptionis memores, perseuerante Deum mente diligatis atq; colatis; ieiunijs pænitentiaq; vos ipsos macerantes. Quos vero angelus dextera sinistraq; inuicem commutare videbatur, eos puto repræsentationem facere liberādorum captiuorum, quos Christū imitantes postea redempturi estis vt precio redemptionis dato christianum e sarracenorum manibus atq; seruitute eximatis, vel alicunde aduersæ legis hominē pro eo qui christianæ fidei professor est cōmutetis (Hic erit vobis ordo) quem sanctissimæ Trinitatis titulo & redēptionis captiuorū nomine ordinamus nūcupari. Ibitis ergo ad vestræ solitudinis locū, vbi vestræ nouellæ institutionis Ecclesiam extruere elaborabitis. Tu vero Ioannes cum licebit atq; libuerit: ad me reuerteris, ego quidē curabo huius ordinis non longe à latera no ædificare cœnobiū, vbi tuæ professionis incolāt fratres.

Postquam

Postquam supplices hæremitæ ordinis & vitæ normã ab Innocentio receperunt, gratias sancto Pontifici & sacro Cardinalium senatui per solutis, in Galliam & locum suũ reuersi sunt. Quos aspicientes regionis incolæ atq; audientes, quid circa illos operata esset diuina operatio, eos magis magisq; venerabantur. Regnabat eo tempore super Frãcos Philippus Augustus, cuius constabularius erat Ganterus de Castillione, *habens in regione Gaudelucum vicum & arcem cũ breuiolo altero vico, prope quem ad tria passuum millia villa erat, cui ceruus frigidus nomen est, ob eam quæ infra scripta est causam. Est vallis vno circiter stadio lata quam interfluit, Dignon paruus fluuius, prope hũc ad collis radicem fons scaturit limpidissimus, ad quem ex finitima silua solitus venire candidus ceruus, in eo refrigerij causa per æstus & solis ardorem se frequenter proluebat. Vnde consuetudo obtinuit, vt acerui refrigerio ceruus frigidus sit ab incolis locus appellatus. Porro diffundente se late noui ordinis fama, cum plurimi ad hæremum profiteri religiosam vitam cupientes conuenirent, nec tuguriolũ angustia multos reciperet, Gantherus constabularius prædictus ceruum frigidum, vbi cœnobium extrueretur, hæremitis donat. Erant ibi eo tempore ædes rudi materia stabulandis pecoribus & messibus reponendis confectæ: In eam villam tirunculi Christi Ioannes & Felix, plerisq; eos comitãtibus, cõmigrarunt, & breui post tempore valuerunt numero & annuis prouentibus, incipientes à Christi fidelibus dona ad liberandos captiuos catholicos postulare. Postquam religionis ordinem & viuẽdi cæremonias instituit Ioannes: Felice relicto, Romam ad Innocentium se contulit. Habitauitq;*

in Celio monte, vbi Pontifex cœnobium instituens sanctū Thomā de formis appellauit. Eo quod modo procul à formis idest aquæ ductibus Ecclesia sita est. Extat in hunc diem in primo pariete supra cœnobij fores vetus pictura, testimonium eam intuentibus faciens eius visionis quam pōtifex se vidisse supra memorauit. Eodem loco Ioannes vixit primus noui ordinis maior minister, vita probatißimus, & laboris mirum immodum patiens, cibo vsq; ad inediam abstinens somno minime obnoxius, quem humi supposita breui stola & ad caput ceruicali horas ad summū quattuor capiebat reliquo tempore semper nisi necessario negotio impeditus orationi vacabat: atq; interdum diuinum verbum populo dominicæq; gregi & promebat & prædicabat. Et quia per id tempus cum Christiani principes tum in primis Francorum Rex aduersus fidei hostes in Palestina ac Hierosolimorum finibus gererent delegabat, solicite fratres qui christiano militi in expeditione ministrarent: vulneratos fouendo vel ab hoste captos redimendo quibus beneficijs ordo se viuente ampliatus est multis locis. Ioannis sexagenarius moritur, anno domini millesimo ducentesimo decimo quarto, duodecimo Kalendas Ianuarias.

(?)

INCIPIT REGVLA FRATRVM ORdinis sanctissimæ Trinitatis, redẽptionis captiuorum, ab Innocentio tertio, Pontificatus sui anno primo, incarnationis vero Dominicæ Millesimo centesimo nonagesimo octauo, decimo sexto Kalend. Ianuarij eis concessa.

PROLOGVS INNOCENTII TERTII, in concesione & confirmatione Regulæ.

INNOCENTIVS EPISCOpus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Ioanni Ministro, & fratribus sanctæ Trinitatis, salutem & apostolicam benedictionem, operante diuinæ dispositionis clementia, in sedis Apostolicæ specula cõstituti paternis & pijs debemus affectibus sufragari, & eo cũ à charitatis radice procedũt, producere ad effectum: præsertim vbi quod quæritur Iesu Christi est, & priuatæ cõmunis vtilitas ante fertur. Sane cum tu (dilecte in Christo fili, frater Ioannes Minister) ad nostram olim præsentiam accesisses, & propositum tuum, quod ex in spiratione diuina creditur processisse

cessisse, nobis humiliter significare curasses intentionem tuam, postulans apostolico munimine confirmari, nos, vt desiderium tuum in Christo fundatum, præter quem poni non potest stabile fundamentum, plenius noscere mus, ad venerabilem fratrem nostrũ Episcopũ, & dilectum filiũ Abbatẽ sancti Victoris Parisieñ. cum nostris te duximus literis remittendum: vt per eos, vt pote qui desideriũ tuũ perfectius non erant, de intentione tua, & intentionis fructu, ac institutione ordinis, & viuendi modo instructi, assensum nostrum tibi possemus, securius & efficatius impartiri. Quia igitur sicut ex eorũ literis cognouimus euidenter, Christi lucrum appetere, videmini plusquam vestrum: volentes vt apostolicũ vobis adsit præsidium, regulam, iuxta quam viuere debeatis, cuius tenorem dicti Episcopus et Abbas suis nobis incussum literis transmiserunt, cum his quæ de dispositione nostra & petitione tua (fili Minister) duximus adiũgenda. Præsentium vobis, & successoribus vestris autoritate concedimus, & illibata perpetuo manere statuimus & sancimus.

Quorum tenorem, vt euidentius exprimamus, inferius duximus adnotari.

(∵)

Cap.

CAPVT I. DE TRIBVS votis & Prælati nomine, de diuisione bonorum, & Redemptione captiuorum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fratres domus ordinis sanctissimæ Trinitatis, & captiuorum, sub obedientia Prælati domus suæ, qui minister vocabitur: in castitate & sine proprio viuant. Omnes res vndecunq; licitè venerint, in tres partes diuidantur æquales. Et in quantum duæ partes sufficient, exequantur ex illis opera misericordiæ: cum sui ipsorum, & eis necessariò famulantium, moderata sustentatione. Tertia vero pars reseruetur ad redēptionem captiuorum, qui sunt incarcerati pro fide Christi à paganis, vel dato precio rationabili, pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione paganorū captiuorū, vt postea rationabili cōmutatione, & bona fide, redimatur Christianus pro pagano, secundū merita & statum personarum. Cum vero pecunia data fuerit vel aliquid aliud, licet specialiter & proprie detur ad aliquid, semperde concensu illius qui dederit, tertia pars separetur, & aliter non recipiatur: nisi donator per se ipsum aut procuratorem idoneum id in vsus domus expendat: exceptis terris, pratis, vineis, ne moribus, ædificijs, nutrituris & huiusmodi. Fructus enim inde exeuntes, deductis expensis, scilicet medictate remota pro expensis, in tres partes diuidantur æquales. Sed quæ paucas, vel nullas recipiūt expensas, omnes diuidantur. Cum vero panni, vel calciamēta vel mi-

vel minuta huiusmodi, quibus necesse sit uti, quæ vendi, vel conseruari non expedit, data fuerint, vel à se ipsis habuerint, non diuidantur: nisi ministro domus, & fratribus visum fuerit expedire. De quibus singulis dominicis diebus (si fieri potest) in capitulo deliberetur. Si tamen prædicta ut panni, terræ, nutrituræ, seu minuta venderentur, precium inde proueniens in tres partes (vt supra) diuidatur.

CAP. II. DE TITVLO monasteriorum, & numero fratrum ipsorum, delectis, vestimentis, & equitaturis.

OMNES Ecclesiæ istius ordinis intitulentur nomine sanctæ Trinitatis, & sint plani operis. Tot fratres possunt esse in vna cohabitatione tam clerici, quam laici, quot Ministro, & fratribus vnius cuiusq; domus visum fuerit expedire. Et vnus qui procurator sit, qui nō procurator, sed Minister (vt dictum est) nominetur: vt frater. N. Minister domus ordinis sanctæ Trinitatis & captiuorum. Cui fratres repromittere ac in pendere obedientiam teneantur. Omnibus fratribus suis, sicut sibi met, Minister fideliter administret. Vestimenta sint lanea, & alba et liceat eis habere pelliceas singulis singulas, & bracchas, quas iacentes non deponant. Iaceant in laneis, ita quod plumea fulcra, vel culcitras, nisi in ægritudine laborantes, in domibus proprijs minime habeant. Ceruical vero, ad susten

tationem

tationem capitis, permittantur habere. In cappis fratrum imponantur signa. Equos non ascendant, nisi cum vrgẽs necessitas postulauerit: sed mulas tantum, quas licitum sit, emere & conducere.

CAP. III. DE ABSTINENTIA & ieiunijs fratrum, & de modo se habendi, ac abstinendi, in itineratione.

VINVM sumendum à fratribus taliter temperetur, vt sobrie sumi valeat. Ieiunent ab idibus Septembris, secunda, quarta, & sexta feria, & Sabbato: nisi solennis festiuitas interuenerit, vsq; ad pascha: sic tamen vt ab aduentu vsq; ad natiuitatem Dominicam, et à septuagesima vsq; ad pascha (exceptis dominicis diebus) in cibo quadragesimali ieiunent: & alia similiter ieiunia: quæ consueuit Ecclesia celebrare. Potest tamen quandoq; Minister ieiunium cum discretione relaxare, propter ætatem, vel viam, & aliam iustam causam, vel facultate inspecta etiam augmentare. Carnibus datis ab his qui foris sunt, vel sumptis de proprijs nutrituris, aut etiam emptis, cũ necesse fuerit vesci liceat, tantum in dominicis diebus à Pascha vsq; ad aduẽtũ dñi, et à natali vsq; ad septuagesimã, & in natiuitate, & in circumcisione, & Epiphania Domini, & in ascentione Dñi, et assũptione, & Purificatione Beatæ Mariæ, et in festiuitate omniũ sanctorũ et imminutionibus, et infirmitatibus, & in via pro magna necessitate, liceat

liceat nutrituras emere, & nutrire. Cum vero in itinere siue peregrinatione fuerint, si quid eis datum fuerit, inde viuant, & residuum in tres partes diuidant. Tamē si fuerint in via profecti ad redimendum captiuos: quidquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptione captiuorum, præter expensas. In ciuitatibus, in villis, siue Castellis in quibus proprias domos habuerint, nihil omnino extra domos illas (nisi forte in domo religionis) etiam si à quouis rogentur, comedant, vel bibant: nisi forte aquam in domibus honestis, nec per noctare præsumant extra huiusmodi domos. Nunquam in tabernis, vel huiusmodi locis in honestis habitent, comedant, vel bibant. Qui autem hoc præsumpserit, iuxta arbitrium ministri graui vindictæ subiaceat.

CAP. IIII. DE CHARITATE fratrum inter se, ac erga infirmos, & hospites.

TALIS sit charitas inter fratres clericos, & laicos, vt eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio, & eādem mensa vtantur. Infirmi seorsum dormiant, & comedant: ad quorum curam habendam, cōuersus aliquis laicus, siue clericus deputetur, qui ea quæ necessaria fuerint, inquirat, & ministret, sicut fuerit ministrandum. Moneantur infirmi vt lauta, siue nimium sumptuosa cibaria non requirant: commoda potius & salubri moderatione contenti. Cura hospitum & pauperum, & omniū euntium, & redeūptium, vni de discretioribus, & benignioribus fratribus

tribus iniungatur: Qui audiat eos, & vt expedire viderit, charitatis solatium administret. Requirat tamen ab illis, quos crediderit admittendos, si eis quæ fratribus apponuntur velint esse contenti. Ad lauta quidem & sumptuosa cibaria non oportet quemquam admitti. Quæcũq; tamẽ præstanda sunt, cum hilaritate præstentur. & nulli maledictum pro maledicto reddatur. Si quis & maxime religiosus ad hospitandum aduenerit, benigne suscipiatur, & charitatiue iuxta posse domus illi sub ministretur. Auena tamen, vel aliud loco Auenæ hospitibus non detur, si fuerint in ciuitate, vel oppido, vel vbi venalis inueniatur, nisi forte religiosi sint hospites, vel tales, qui ad manus nõ habeāt & non emere poßint. Si aũt hospites venalem non inuenerint, & in domo qua suscepti sunt inueniatur, congruenter præbeatur. Nullus frater Laicus, siue clericus, sit si fieri potest sine proprio officio. Si quis vero laborare noluerit, & potuerit, locum ipsum deserere compellatur. Cum Apostolus dicat: qui non laborat non manducet.

CAP. V. DE SILENtio, & honestate.

SILENTIVM obseruent semper in Ecclesia, & Refectorio, & semper in dormitorio. De necessarijs tamen liceat loqui, in alijs locis, temporibus aptis, & remissa voce, humiliter, & honeste, & extra prædicta loca. Vbiq; sermo eorum sit honestus & sine scandalo: similiter & eorum omnis status, gestus, vita, actio, & omnia alia honesta, in eis reperiantur.

CAP. VI. DE SINGVLA rū domorum capitulis, & de Capitulo generali.

CAPITVLVM si fieri potest, singulis dominicis diebus, Minister cum fratribus suis teneat: & de negotijs domus, & domui, siue fratribus datis, vt ad redemptionem captiuorum tertia pars deputetur, fratres Ministro, & Minister fratribus rationem fideliter reddant: non solum fratribus, sed & familiæ pro capacitate sua. Similiter singulis dominicis diebus si fieri potest exortatio fiat, & quidquid credere, aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus, & clamoribus, fratres in capitulo iudicentur. Nullus frater fratrem suum in publico accuset, nisi bene poßit probare, qui autem hoc fecerit, pœnam subeat quā reus subiret, si conuinci potuisset. Nisi minister ex causa cum eo dispensare voluerit. Si quis scandalum, vel aliquid huiusmodi fecerit, vel (quod absit) se inuicem percußerint, iuxta arbitrium Ministri maiori, vel minori vindictæ subiaceat. Si quis frater in fratrem peccauerit, idem eo solo sciente qui iniuriam passus est, sustineat patienter: licet sit innocens. & cum quieuerit commotio animorum, benigne, ac fraterne, commoneat, & corripiat eum vsq; ter, inter se, & ipsum solum, & pœnitentiam agere de commisso, & à similibus in posterum abstinere. Qui si non audierit, dicat Ministro, & ille corripiat eum secreto, secundū quod viderit saluti eius expedire. Qui vero scandalum mouerit si per

si perse emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati petens veniam se extendat. Et si semel non sufficit vsq; ter illud idem faciat. Si vero hoc in publicum venerit, quæ cunq; secutura fuerit pœnitentia, hæc sit prior (scilicet) ante pedes ministri petendo veniam totius corporis extensione, & postea secundũ eius arbitrium emendetur. Generale capitulum, semel in anno celebretur, quod fieri debet in octauis Penthec. Si pro necessitate domus debitũ fuerit aliquod contrahendum, prius in capitulo fratribus proponatur, & cum eorum fiat consilio & assensu, vt sic & præsumptiones, & murmurationes euitentur. Si quisquam de substantia domus violentiam fecerit, & ad iudicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quam charitatiue ille à fratribus primo, post ab alijs vicinis similiter moneatur.

CAP. VII. DE ELECTIONE Ministri, ac eius depositione.

ELECTIO de Ministro per communem fratrum electionem fiat: nec eligatur secundum dignitatem generis, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Ipse vero qui eligitur, sacerdos sit, vel clericus ordinibus aptus, & sit Professus. Minister vero, siue maior, siue minor, Sacerdos sit. Minister maior confessiones Fratrum omnium congregationum

eiusdem ordinis audire potest. Minor vero Minister omnium fratrum suæ domus audiat confessiones: dummodo verecundia repetita, excessus occasionē minime præbeat, tardius prælatis suis, vel minus pure quam deceat confitendi. Solicite vero Minister prouideat, vt præcepta regulæ sicut cæteri fratres per omnia teneāt. Postquā vero electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per maiorem ministrū, conuocatis tribus, vel quatuor ministris maioribus deponatur, & alius qui dignus sit loco eius subrogetur. Si vero pro remotione terrarum, vel alia causa rationabili maior minister hoc facere non potuerit, vices suas Ministris maioribus magisq; religiosis committat: et quod illi fecerint, autoritate maioris ratum habeatur. Maior vero minister, si pro excessibus corrigendis deponēdus sit, per quatuor, vel quinq; ministros eiusdem ordinis magis religiosos hoc fiat, qui tamen autoritate capituli generalis eligi debent.

CAP. VIII. DE NOVItijs, & eorum receptione.

SI QVIS huius ordinis frater esse voluerit, primum per annum cum expēsis suis præter victum, habitu suo, & omnibus suis retentis, in ordine pro Deo deseruiat, & post annum si bonum & conueniens videatur Ministro & fratribus, & illi locus vacauerit recipiatur. Nihil tamen pro receptione sua exigatur, si quid tamē gratis dederit, recipiatur, dum tamen tale sit de quo non videatur Ecclesiæ litigium imminere. Si vero de cuiusquam

moribus

moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo probatio habeatur. Si ante receptionem aliquis se intemperanter habuerit, & inpatiens disciplinæ ad arbitrium Ministri non emendauerit mores suos, tribuatur ei modesta licentia cum omnibus quæ attulit recedendi. In ordine vero aliquis non recipiatur, antequàm annum videatur vicesimum compleuisse. Professio vero in arbitrio Ministri relinquatur.

CAP. IX. DE COMMVNI oratione pro vniuersali Ecclesia facienda, de commemoratione defunctorum, ac alijs nonnullis præceptionibus.

DIGNORA non accipiant nisi decimas cum licentia sui Episcopi. De manu laici iuramenta non faciant: nisi in magna necessitate cum licentia ministri. Vel nisi ab Episcopo suo: vel ab alio vices apostolicas gerentem: & hoc pro honesta & iusta causa. Si quod vitium in re quæ venditur notum fuerit, indicetur emptori. Ipsa die qua infirmus venerit vel apportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur, & cõmunicet. Omni secunda feria præterquã in octauis pascha, & Penthecostes, & natiuitatis domini, & Epiphaniæ, & præterquã in festiuitatibus, quæ ad colendum pronunciantur: finita missa, pro fidelibus fiat absolutio fidelium defunctorum in cœmiterio. Singulis quoq;

noctibus adminus in hospitali coram pauperibus, pro statu & pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ & totius Christianitatis, & pro benefactoribus, & pro his, pro quibus generalis Ecclesia consueuit orare, communis fiat oratio.

CAP. X. DE CANONICIS HORIS, & DE RASURA FRATRUM.

IN regularibus horis morem Beati Victoris obseruent: nisi forte pausationes, vel altæ prolixitates & vigiliæ occasione laboris & paucitatis seruientium, de consilio Prioris & religiosorum virorũ fuerint remittendæ. Propter paucitatem etenim suam, tantas pausationes in psallendo facere non tenebuntur: nec ita tẽpestiue surgere. In rasura similiter ordinem sancti Victoris sequantur clerici, laici vero barbas non radant: sed eas crescere modestè per mittant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & constitutionis infringere: vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit: in indignationẽ omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datis Lateranensi quinto idus Februarij, pontificatus nostri anno primo. Finit regula fratrum Ordinis Sanctæ Trinitatis ab Honorio tertio eis concessa.

Immunita-

IMMVNITATES ET FAVORES, NOVELLO Ordini Sanctæ Trinitatis, ab ipso Innocentio Tertio concessæ.

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorũ Dei, dilectis filijs Ioanni Ministro, & fratribus Ordinis Sanctæ Trinitatis, tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis. In perpetuum operante patre luminũ, à quo omne datũ optimum, & omne donũ perfectũ, qui solẽ suum oriri facit super bonos & malos etiã diebus nostris, in quibus peccatis exigentibus, abundat iniquitas, & multorũ charitas refrigescit: nonnullis facientе cũ eis Domino signũ in bonũ, vnde inter alia beneficia quæ nobis misericorditer impertitur, ad gratiarũ actiones propensius inuitamur, posteriorũ obliti, & anteriora cum apostolo se extẽdunt. Et exuentes veterem hominẽ cũ actibus suis, & nouum, qui secundũ Deũ creatus est induẽtes, in vitæ transeunt nouitatem, cũ relictis pro Deo quæ possidẽt, & nõ quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quærentes volũtariã eligunt paupertatẽ, & Diuinæ se subijciũt serui tuti. Quorũ desiderijs tãtò est propẽsius annuẽdũ quantùm per opera pietatis gratiorem præstant altißimo famulatũ.

LICET autem, secundùm Apostolum, nec qui plantat, nec qui rigat sit aliquid: sed qui incremẽtum dat Deus: plantationem tamen vestram nouellam, Apostolicæ

protectionis præsidio, disposuimus irrigare: quatenus Deo præstante misericorditer incrementum fructuum proferat exoptatum.

E A propter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatũ Ordinem Sanctæ Trinitatis, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus: Statuẽtes, vt quascunq; possessiones, quæcunq; bona idem ordo in præsentiarum iustè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, siue alijs iustis modis, præstãte Domino poterit adipisci: firma vobis vestrisq; successoribus, & illibata permaneant.

S. 1 quando verò loca deserta fuerint eidem venerabili Ordini ab aliquo pia deuotione collata, liceat vobis ædificare Villas, Ecclesias, cœmiteria ad opus hominum ibidem morantium fabricare: ita tamen vt illa vicinia, Abbatia, vel Religiosorum Collegia non existat quæ hoc valeat perturbare.

S A N E noualium vestrorum quæ proprijs manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum, hortorum vel pomorum fructibus, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

L I C E A T quoq; vobis clericos vel laicos, liberos & absolutos a sæculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos sine contradictione aliqua retinere.

P R O H I B E M V S insuper, vt nulli fratrum vestrorũ, post factã in Ordine vestro professionẽ, fas sit, absq; Ministri sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodẽ

Ordine

Ordine discedere. Discedentẽ verò, absq; communium literarum cautione, nullus audeat retinere.

CHRISMA verò, oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum vestrarum, ordinationes clericorum vestrorum qui ad sacros ordines fuerint promouendi, & cætera Ecclesiastica Sacramenta, à diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine prauitate qualibet exhibere: alioquin liceat vobis quemcunq; malueritis catholicum adire Antistitem, gratiã & cõmunionẽ Apostolicæ sedis habẽtẽ, qui nostra fretus autoritate, vobis, quod postulatis, impẽdat.

CVM autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, Diuina officia celebrare.

SEPVLTVRAM præterea locorum vestrorum liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberauerint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat: salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumentur.

OBEVNTE verò te nunc eiusdem Ordinis Ministro, vel tuorũ quolibet successorũ: nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quẽ fratres cõmuni consensu, vel fratrum pars cõsilij sanioris, secundum Dei timorem, canonicè prouiderent eligendum.

PACI & trãquillitati vestræ paterna in posterũ solicitudine prouidere volẽtes, autoritate apostolica districtius

 inhibemus,

inhibemus, vt infra clausurã locorũ vestrorum nullus rapinam, seu furtũ facere, ignẽ apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

DECERNIMVS ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatũ Ordinẽ temerè perturbare, vel eiuspossessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur, eorum pro quorũ gubernatione ac sustentatione cõcessa sunt vsibus omnimodis profutura: salua Sedis Apostolicæ autoritate, & diœcesani Episcopi canonica iustitia.

SI igitur futurũ Ecclesiastica, sæcularisve persona hãc nostræ cõstitutionis paginã sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundo tertiòve cõmunita, nisi reatum suum cõgrua satisfactione correxerit, potestatisq; suæ careat dignitate, reamq; se Diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena sit, atq; in extremo examine districtæ vltioni subiaceat: cunctis autem eidem loco suo iure seruientibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicẽ præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.

DATIS Viterbij per manum Ioãnis Sanctæ Mariæ Cosmedim, Diaconi Cardinalis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarij, decimo quarto Kalendas Iulij, Indictione. x. Incarnationis Dominicæ Anno Millesimo ducentesimo nono, Pontificatus verò domini Innocentij Papæ Tertij anno duodecimo.

Decre-

DECRETVM
INNOCENTII QVARTI quòd literæ Apostolicæ in præiudicium huius Ordinis impetratæ, nullius sint roboris, nisi expressam de isto Ordine fecerint mentionem.

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Ministro & fratribus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & Captiuorum, Salutem & Apostolicā benedictionem. Paci & quieti Ordinis vestri paterna volentes solicitudine prouidere, ad instar fœlicis recordationis Honorij Papæ, prædecessoris nostri, autoritate vobis prædicta indulgemus, vt literæ contra vos à Sede Apostolica impetratæ, non valeant, nisi expressam de Ordine vestro fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datis Lugduni, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo Kal. Febr. Pontificatus nostri anno quinto.

Honorius Tertius iam olim hoc idem indulserat.
Simileq; Decretum habetur in Iure, de rescrip. cap. Cùm ordinem.

Incipit

INCIPIT RE GVLA FRATRVM OR-dinis Sanctiſ. Trinitatis, & redemptionis Captiuorum, ab Innocētio Tertio eis primò cō-ceſſa ab Honorio Tertio cōfirmata, ac in nō nullis modificata, & ab Alexandro Quarto, Vrbano Quarto, Clemente Quarto, Leone Decimo, Adriano Sexto, ac Pio Quarto amplius modificata.

PROLOGVS CLEMENTIS QVARTI in Regulæ modificationem.

CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei, dilectis filijs Miniſtro maiori, & fratribus vniuerſis Ordinis Sāctæ Trinitatis & Captiuorū, Salutē & Apoſtolicā benedictionem. In Ordine veſtro, eiusq; profeßoribus, quos ſyncerè diligimus, id ſemper haberi quærimus, vt aßiduis ſpūalibus potißimè, ac tēporalib9 etiā incremētis proficiant, & honeſtatis fructus delectabiles proferāt & honoris: vnde rectè agimus, ſi ijs quæ ad hæc promouēda ex conſultæ deliberationis fiunt prouidētia, vt incōcußa in poſterū permaneāt, autoritatis robur apoſtolicæ adhibemus. Dudū ſanè, vt accepimus, vobis fœlicis recordationis, Vrbano Papæ prædeceßori noſtro exponētibus, quòd prætextu obſeruātiæ ſtatutorū et regulæ ipſius Ordinis; plerūq; dubitatiōes oriebātur fratribus, ex quò ipſis habētibus

conſcientiis

conscientias scrupulosas, circa diuinorum executionem & vtilitatum procurationum temporaliũ Ordini præfato difficultatem damnosam frequenter ingeri contingebat, ac super hoc vobis, per Apostolicam postulantibus prouidẽtiam subueniri: dictus prædecessor venerabili fratri nostro Episcopo, & dilectis filijs Sancti Victoris & Sanctæ Genouefæ Abbatibus Parisiensis, suis dedit literis in mandatis, vt ipsi facientes sibi prædicta Statuta & Regulam exhiberi, ac diligenter examinantes eadem corrigerent, & statuerent circa ipsa, prout secundum Deum ipsorũ saluti, & vtilitati memorati Ordinis cognoscerent expedire. Verùm Episcopus & Abbates prædicti, facientes sibi Statuta, et Regulam huiusmodi exhiberi, ac ea examinantes, iuxta formam sibi traditam diligenter illa correxerunt, & circa ipsa nonnulla etiam statuerũt, prout secundùm Deum, prædictorum Ministri & fratrum saluti, & vtilitati eiusdem Ordinis ipsis visum extitit expedire: sicut in literis indè confectis, sigillatis sigillis Episcopi & Abbatum prædictorum, plenius continetur. Nos itaq; vestris supplicationibus inclinati, quòd per eosdem Episcopum & Abbates, proindè factum est in hac parte, ratum habentes, & firmũ illud autoritate Apostolica confirmamus: tenores literarum ipsarum de verbo ad verbum facientes præsentibus annotari, qui talis est.

CAP. I. DE TRIBVS votis, de Prælati nomine, ac de propria domo fratrum.

IN NOMINE *sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fratres domus Ordinis Sanctæ Trinitatis, & Captiuorum, sub obedientia Prælati domus suæ, qui Minister vocabitur, in castitate & sine proprio viuant. Qui fratres, extra domos suæ professionis mitti non valeant, nisi pro scandalis manifesta pœnitentia indigentibus, & pro alleuatione domorum suarum, & pro noua domo ædificanda, & in hoc solo casu prouideatur eis tanquã illius domus professis.*

CAP. II. DE DIVISIONE bonorum, ac redemptione captiuorum.

O*MNES res vndecunq; licitè veniant, in tres partes diuidantur æquales, & in quantum duæ partes sufficiunt exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ipsorum, & eis necessario famulantium moderata sustentatione. Tertia verò pars reseruetur ad redẽptionem captiuorũ, qui sunt incarcerati, pro fide Christi, à Paganis: vel dato precio rationabili pro redẽptione Paganorũ captiuorũ, vt postea rationabili commutatione, & bona fide redimatur Christianus pro Pagano, secũdùm merita & statum personarum. Cùm verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud licet specialiter & propriè ad certũ vsum semper de cõsensu illius qui dederit, si præsens fuerit, tertia pars separetur, nisi donator per seipsum vel procuratorem idoneum, fratrem vel alium, id in vsus domus*

mus expendat. Si verò donator absens fuerit, ita quòd commodè non possit eius assensus haberi, vel aliàs de eius voluntate constare, vt in hoc casu via melior & tutior teneatur: rei datæ tertia pars separetur, exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificijs, nutrituris, & huiusmodi. Fructus enim indè exeuntes, deductis expensis, secundum rationabiles extimationes Ministri & fratrum, in tres partes diuidantur æquales: sed quæ paucas, vel nullas recipiunt expensas, omnes diuidantur. Cùm verò panni, calceamenta, vel minuta huiusmodi, quibus sit necesse vti, quæ vendi, vel conseruari non expedit, data fuerint, vel à se ipsis habuerint: non diuidantur, nisi Ministro domus & fratribus visum fuerit expedire. De quibus singulis Dominicis diebus, si fieri potest, in Capitulo deliberetur. Si tamen prædicta, vt panni, terræ, nutrituræ, seu minuta, venderentur: precium indè proueniens, in tres partes, vt supra diuidatur. De nemoribus autem, fœnis pratorum, straminibus agriculturarũ, & fructibus arborum, pecorum, & hortorum: ad vsus necessarios liceat fratribus accipere. Si quid verò de prædictis vendi contigerit, vel de fructibus arborum potus fieri: tertia pars reddatur captiuis, secundum formam superius annotatam. Si domus, vel quæcunq; alia, à quouis licitè sub quocunq; nomine fratribus conferantur: donatoribus exponatur qualiter de bonis suis tres debeant facere portiones: & si donator voluerit res diuidi, diuidantur: & si non, non diuidatur. Quæ autem vtcunq; modo fratribus collata sunt: secundũ quod de voluntate donatorũ ea receperũt, liceat eis de ipsis disponere, & voluntate donatorum pro posse suo adimplere. Fructus

verò

verò collectos de bonis postea acquisitis, deductis expensis secundùm quòd de alijs supra dictum est, diuidere tenebuntur. De illis quæ in Ecclesia offerũtur, vel alio modo apportantur, vt vestimenta, panni serici, oblationes, & huiusmodi: ipsi Ecclesiæ in suis necessarijs, vt libris, cera, oleo, & alijs eiusdem ornamentis, prouideatur. Quod autem superest, diuidatur. Si domus, terræ, possessiones, vel alia vnde redditus proueniunt, vel conseruandis fauctibus sunt necessaria, calamitate aliqua vel casu destruantur: liceat fratribus de cõmunibus bonis, prædicta, in statum debitum reformare: & hoc de consensu maioris Ministri, vel eius Vicarij, seu visitatorũ illius prouinciæ. Si tamen pro fratrum congrua sustentatione, necessitas exegerit: huiusmodi diuisio ex bonis indifferenter relictis, arbitrio Ministri Prouincialis pro tempore existentis, relinquatur: dummodò illa nõ ad alios vsus, quàm redemptionem, & pauperum subuẽtionem, ac hospitalium reparationem, seu constructionem, ac fratrum Ordinis sustentationem cõuertantur: & sic vltra tertiam partem huiusmodi, absq; alicuius conscientiæ scrupulo, percipere ipsi fratres, & leuare valeant.

CAP. III. DE TITVLO MOnasteriorum, ac numero fratrum ipsorum, delectis, vestimentis, & equitaturis.

OMNES Ecclesiæ istius Ordinis, quas fratres sibi ædificauerint, intitulentur nomine Sanctæ Trinitatis & sint plani operis. Tot fratres possunt esse in vna cohabitatione,

tatione, tã clerici quã laici: quot Ministro & fratribus vniuscuiusque domus visum fuerit expedire: quorũ vnus Procurator sit, qui nõ Procurator, sed Minister, vt dictũ est, nominetur, cui fratres repromittere, ac impendere obediẽtiã teneãtur. Omnibus fratribus suis, sicut sibimet, iuxta posse domus, prout vnicuique opus fuerit, Minister fideliter administret. Vestimẽta sint lanea & alba, excepta cappa, quæ honestatis causa, bruni coloris erit: quã etiã dum ad partes Infideliũ, pro redimẽdis captiuis se contulerint, de suorũ superiorũ licentia mutari possint. Et liceat eis habere pelliceas prout vniuscuiusque exposcit necessitas, & bracchas, quas iacẽtes nõ deponãt. Iaceãt in laneis, ita quod plumea fulcra, vel culcitras, in domibus proprijs, id est, in quibus ad manendũ fuerint deputati, nisi in ægritudine laborãtes, & de foris veniẽtes, & hoc extra dormitoriũ minimè habeãt. In alijs verò domibus sui Ordinis, et alibi vbicũque, siue in itinere, siue in peregrinatione fuerint, poterint iacere fratres in talibus lectis, quales eis fuerint præparati, ita tamẽ quòd tunicas nõ deponãt, Ceruical verò, cũ cossino, ad sustẽtationẽ capitis permittatur haberi. In cappis, & caputijs fratrũ imponãtur signa, videlicet crux in pectore, cuius brachiũ, quod vadit in lõgũ, sit de pãno rubeo: illud aũt quod vadit in trãsuersum sit cærulei coloris. Calceamenta habeãt clausa, et ordinata, ita tamẽ quòd genua non excedãt, nisi sint equitãtes. Liceat fratribus equos ascẽdere, et equitaturas tales habere, quales poterint, et sibi viderint expedire, dũ nimis notabiles nõ existant.

Cap. IIII. De abstinentia & ieiunijs fratrũ: ac de modo se habẽdi & abstinẽdi in itinere.

VINVM sumendum à fratribus taliter temperetur, vt sobriè sumi valeat. Ieiunẽt à propinquiori Dominica festo beati Martini hyemalis, vsq; ad natiuitatẽ Domini, & à quinquagesima vsq; ad Pascha. Insuper et alijs tẽporibus anni, omni sexta feria, nisi festiuitas nouẽ lectionum interuenerit, vel octauæ: ita tamen, quòd à Quinquagesima vsq; ad Pascha in cibo Quadragesimali ieiunent, & alia ieiunia quæ consueuit Ecclesia celebrare. Potest tamen quandoq; Minister ieiuniũ cũ discretione relaxare, propter ætatem, vel viã, vel aliã iustã causam: vel etiã facultate inspecta augmẽtare. Carnibus datis ab his qui foris sunt, vel sumptis de proprijs nutrituris, vel etiam emptis, vesci liceat tãtũ Dominicis diebus à Pascha, vsq; ad Dominicam propinquiorẽ festo beati Martini hyemalis, & à Natali, vsq; ad Septuagesimã: & in Natiuitate, & Epiphania Domini, & in Ascensione Domini, & in Assumptione, & Purificatione Beatæ Mariæ, & in festo omnium Sanctorum, & in minutionibus, & infirmitatibus. Possunt tamen Ministri, cum fratribus suis, de carnibus edendis, extra Refectorium, et in via, ex iusta & rationabili causa, dispensare. Liceatq; fratribus sanguine vesci. Ac insuper, si qualitas temporis, & monasteriorũ necessitas id exigeret, etiã in ipso refectorio (Aduẽtus tamẽ, & alijs à iure prohibitis tẽporibus exceptis) carnibus huiusmodi vesci possint. Liceat etiam nutrituras emere, et nutrire. Cũ verò in itinere, siue peregrinatione fuerint, si quid eis datũ fuerit, indè viuãt, & residuũ in tres partes diuidant. Tamẽ si fuerint in via profecti, ad redimendũ captiuos: quicquid eis datũ fuerit, totũ debent ponere in redem-

redẽptione captiuorũ,præter expẽsas. In Ciuitatibus,in villis,siue Castellis,in quibus proprias domos habuerint, nihil omnino extra domos illas,nisi forte in domibus religiosis, etiã si à quouis rogentur,& cũ Archiepiscopis, Episcopis,& Regibus,si inuitati fuerint, comedãt,vel bibãt,nisi fortè aquã in domibus honestis:nec pernoctare præsumãt extra huiusmodi domos,nisi forte aliquorum fuerint Magnatorũ,vel Prælatorum officijs deputati. Nunquam in tabernis vel in huiusmodi in honestis locis habitent,comedant,vel bibant. Qui autem hoc præsumpserit,iuxta arbitrium ministri,maiori vel minori vindictæ subiaceat.

CAP. V. DE CHARITATE fratrũ inter se,ac erga infirmos,& hospites.

TALIS sit charitas inter fratres,clericos,et laicos,vt eodẽ victu,vestitu,dormitorio,refectorio & eadẽ mensa vtantur. Infirmi seorsum dormiãt & comedãt. Ad quorũ curã habendam, conuersus aliquis laicus siue clericus deputetur:qui ea quæ necessaria fuerint inquirat & ministret,sicut fuerit ministrandũ. Moneantur tamen infirmi,vt lauta,siue nimiũ sumptuosa cibaria non requirãt,cõmoda potius & salubri moderatione contenti. Cura hospitũ,& pauperũ,& omniũ euntiũ, et redeuntiũ, vni de discretioribus,& benignioribus fratribus iniũgatur,qui audiat eos:et vt expedire viderit,charitatis solatiũ administret. Requirat tamẽ ab illis quos crediderit admittendos, si ijs quæ fratribus apponũtur,velint esse contenti. Ad lauta quidẽ,siue nimiũ sumptuosa cibaria,non oportet quemquam

admitti. Quæcũque tamẽ præstãda sunt, cũ hilaritate præstẽtur: et nulli maledictũ pro maledicto reddatur. Si quis tamẽ, & maximè Religiosus, ad hospitandũ aduenerit: benignè suscipiatur, & charitatiuè iuxta posse domus illi sub ministretur. Auena tamẽ vel aliud loco auenæ hospitibus dare nõ teneantur: si fuerint in ciuitate vel oppido, vbi venalis inueniatur: nisi fortè Religiosi sint hospites, vel tales qui ad manum non habeant, & emere non possint. Si autẽ hospites venalem non inuenerint, & in domo, qua suscepti fuerint, inueniatur: congruẽter eis præbeatur. Nullus frater clericus aut laicus sit (si fieri potest) sine proprio officio. Si quis verò laborare noluerit, & potuerit: iuxta arbitrium Ministri, canonicè puniatur, cùm apostolus dicat: Qui nõ laborat, nõ manducet.

CAP. VI. DE SILENtio, & honestate.

SILENTIVM semper obseruẽt in choro: nisi frater alicuius fratris, vel alterius, fortè confessionẽ in dicto loco audiat. Pauca etiam verba in choro sub silentio, & sine strepitu, propter aliquam iustam causam, loqui poterunt. In refectorio, & in dormitorio, silentium obseruabunt: nisi necessitas aliqua, vel iusta causa, eos ad loquendũ compellat: in quo casu paucis verbis, & submissa voce loquentur. Extra verò prædicta loca liceat eis loqui temporibus aptis submissa voce, humiliter & honestè. Vbique sermo eorum sit honestus, & sine scãdalo. Similiter & eorum omnis status, gestus, vita, actio, & omnia alia honesta in eis reperiantur.

Caput

CAP. VII. DE SINGVLArum domorum Capitulis, & de generali Capitulo.

CAPITVLVM, SI FIERI POTEST singulis diebus Dominicis, in singulis domibus, Minister cum fratribus suis teneat, & de negotijs domus, & domui suæ, siue fratribus datis, & familiæ, nomine Ordinis, datis, vt ad redẽptionẽ captiuorũ tertia pars deputetur: fratres Ministro, & Minister fratribus, rationem fideliter reddant. Similiter singulis Dominicis diebus, si fieri potest, exhortatio fiat: et quid credere, aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus & clamoribus, fratres in Capitulo iudicẽtur. Nullus fratrũ fratrẽ suum in publico accuset, nisi bene poßit probare, qui aũt hoc fecerit, pœnam subeat quã reus subiret, si conuinci potuisset: nisi Minister ex causa cũ eo dispensare voluerit. Si quis scandalũ, vel aliquod huiusmodi fecerit, vel (quod absit) se inuicem percusserint: iuxta arbitriũ Ministri, maiori vel minori vindictæ subiaceat. Si quis frater in fratrem peccauerit, scilicet, contra fratrẽ: idẽ eo solo sciẽte, qui iniuriã passus est, sustineat patiẽter, licet sit innocens, & cũ quieuerit cõmotio animorũ, benignè & fraternè cõmoneat, et corripiat eũ vsq; ter inter se & ipsum solũ, & pœnitentiã agere de cõmißo, & à similibus in posterũ abstincre. Qui si nõ audierit, dicat Ministro, et ille corripiat eũ secretè, secundum quòd viderit saluti eius expedire. Qui verò scãdalum mouit si per se emẽdare voluerit, totũ ante pedes scãdalizati, pe-

tens veniã, se extẽdat. Et si semel non sufficit, vsq; ter illud idem faciat. Si verò hoc in publicũ venerit: quæcũq; sequutura fuerit pœnitẽtia, hæc sit prior, scilicet, ante pedes Ministri, petendo veniam, totius corporis extensione, & posteà secundum arbitrium Ministri emendetur.

GENERALE capitulum semel in anno celebretur, quod fieri debet Dominica quarta post Pascha. In quo capitulo quolibet anno Correctores maioris Ministri eligantur: qui vnà cũ maiori Ministro, vel eius Vicario, corrigendi, & diffiniẽdi omnia quæ corrigẽda & diffiniẽda sunt in generali capitulo, tẽpore ipsius capituli, & etiã visitatores cõstituendi in diuersis prouincijs, & locum futuri generalis capituli aßignãdi, habeant potestatẽ. Nullus verò simplex frater ad generale capitulũ accedat, nisi vocatus à maiore Ministro, vel missus à suo proprio Ministro, vel aliquã iustã causam in Ministrum suũ prætẽderit. Quã si in Capitulo generali nõ fuerit prosecutus: ad arbitriũ maioris Ministri & Correctorũ, canonicè puniatur. Si pro neceßitate domus, debitũ aliquod fuerit contrahendũ: prius in capitulo fratribus proponatur, & cum eorũ consilio fiat & aßensu, vt sic suspitiones & murmura euitentur. Si quis de substantia domus violentiam fecerit, & ad iudicem oportuerit referri: non antè hoc fiat, quàm charitatiuè ille à fratribus moneatur.

CAP. VIII. DE MINISTROrũ electione, eorũq; ex culpa depositione.

ELECTIO *Ministri per cõmune consiliũ fratrum clericorum fiat. Nec eligatur secũdum dignitatem generis, sed*

ſed ſecundum vitæ meritũ, & ſapiētiæ doctrinã. Ipſe verò qui eligitur, ſiue maior ſiue minor Miniſter, Sacerdos ſit, & profeſſus. Maior verò Miniſter poſtquàm electus fuerit, ſecundum formam in Regula hac annotatam: ipſius Ordinis curam plenè habeat, & liberè gerat: prout hactenus extitit obſeruatum & conſuetum: fratrumq; omnium congregationũ confeſſiones audire, & ABSOLVERE ab omni trãſgreſſione Regulæ, ſua poſſit autoritate. Minor verò miniſter omniũ fratrũ domus ſuæ AVDIAT CONFESSIONES dummodò verecundia repetita exceſſus occaſionem minimè præbeat tardius Prælatis ſuis, vel minus purè quã deceat, cõfitendi. Solicitè verò Miniſter prouideat, vt præcepta Regulæ, ſicut cæteri fratres, per omnia teneat. Poſtquam verò electus fuerit, ſi ex culpa deponi meruerit: per maiorem Miniſtrum, conuocatis tribus vel quatuor Miniſtris minoribus, ſi commodè infra tres dietas à loco valeant inueniri. Et ſi cõmodè haberi non poſſint, aſſumptis ſecum tribus vel quatuor fratribus eiuſdẽ Ordinis, viris religioſis & honeſtis, de quorũ cõſilio & aſſenſu deponatur: & alius qui dignus ſit loco eius ſubrogetur. Si verò pro remotione terrarũ, vel alia cauſa rationabili, maior Miniſter hoc facere nõ potuerit: vices ſuas Miniſtris minoribus magis religioſis cõmittat. Si verò duo vel tres, pro locorũ diſtãtia, haberi cõmodè nõ poſſint: per aliquẽ Miniſtrũ virũ religioſum & honeſtũ, cum tribus vel quatuor fratribus religioſis hoc fiat. Et quod illi fecerint, autoritate maioris ratũ habeatur. Maior verò miniſter, ſi pro exceſſibus ſuis corrigẽdus vel deponẽdus fuerit: per quatuor vel quinq; Miniſtros eiuſdem Ordinis magis religioſos hoc fiat: qui tñ autoritate generalis capituli ad hoc eligi debent.

CAP. IX. DE NOVITIIS & eorum receptione.

SI quis huius ordinis frater esse voluerit: primò per annum in habitu fratrũ cum expensis suis, præter victũ, omnibus suis rectis, in Ordine pro Deo deseruiat. Et post annũ, si bonũ & cõueniẽs ministro domus & fratribus videatur & illi, recipiatur. Nihil tñ pro receptione sua exigatur. Si quid tamẽ gratis dederit, recipiatur, dũ tamẽ tale sit de quo nõ videatur Ecclesiæ periculũ imminere. Si verò de cuiusquã moribus visum, fuerit dubitãdum prolixior de eo habeatur probatio. Si ante professionẽ aliquis se intẽperãter habuerit, & impatiẽs disciplinæ, ad arbitriũ Ministri non emẽdauerit mores suos: tribuatur ei modestè licentia, cũ omnibus quæ attulit, recedẽdi. In ordine verò aliquis nõ recipiatur, antequã annũ vigesimũ videatur cõpleuisse. Professio verò post annũ in arbitrio Ministri relinquatur.

CAP. X. DE NONNVLLIS diuersis præceptionibus.

PIGNORA nõ accipiãt, nisi decimas, cũ licẽtia sui Episcopi, de manu laici. Iuramẽta nõ faciant, nisi magna necessitate, cũ licẽtia sui Ministri, vel iussi ab Episcopo suo, vel ab aliquo vices apostolicas gerẽte, et hoc pro honesta & iusta causa. Si quod vitiũ in re quæ vẽditur, notũ fuerit: indicetur emptori. Ipsa die qua infirmus apportatus fuerit: de peccatis suis confiteatur Ministro, vel ei cui Minister iniunxerit, & cõmunicet, & omnia alia Sacramẽta Ecclesiastica percipere valeat ab eodem.

Caput

CAP. XI. DE CANONICIS horis, de Missa, & processione defunctorum: deq; alijs pro communi Ecclesia depre cationibus: ac de rasura fratrum.

OMNI secũda feria, præterquã in octaua Paschæ & Pentecostes, & Natalis Domini, & Circũcisionis Domini, et Epiphaniæ: & præterquã in festiuitatibus nouẽ lectionũ, & in octaua Sanctorũ, & aliarũ festiuitatũ, finita Missa pro fidelibus, fiat absolutio fideliũ defunctorũ in cœmiterio. Singulis quoq; noctibus ad minus in hospitali, corã pauperibus, pro statu & pace Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & totius Christianitatis, & pro benefactoribus & pro his pro quibus generalis Ecclesia consueuit orare, cõmunis fiat oratio. In regularibus horis morem beati Victoris obseruent, exceptis fratribus seruitijs Principum & Prælatorũ deputatis, & fratribus itinerãtibus: exceptis etiã pausationibus, & prolixitatibus, & vigilijs, quæ occasione laboris, vel paucitatis seruientium, poterunt eis remitti, de consilio piorum & religiosorum virorum, ad hoc in suo generali Capitulo de suis Ministris, vel fratribus specialiter electorũ. Propter paucitatem etenim suam, tãtas pausationes psallendo facere nõ tenebũtur, nec ita repẽtiue surgere. In rasura similiter ordinem sancti Victoris sequantur clerici: laici verò barbas non radant, sed eas ad modum Templariorum, vel conuersorum Cistercienſum crescere permittant.

Datũ ab Innocẽtio Lateranæ. 10. Kalend. Ianuarij, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo, centesimo, nonagesimo

ſimo octauo: ſui Pontificatus anno primo. Ab Honorio, Lateranæ, Anno 1216. quinto Idus Februarij, Pontificatus ſui anno primo. A Clemente, Viterbij, Anno. 1263. ſeptimo Idus Decembris, ſui Pontificatus anno tertio.

NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſsionis, & conſtitutionis, confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autē hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

FINIS.

DECRETVM CLEMENTIS QVINti, immunitatis & Exemptionis, huius ſacri Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis.

Clemens

DECRETVM EXEMPTIONIS.

CLEMENS EPISCOPVS SERuus seruorum Dei, Dilectis filijs maiori Ministro, & vniuersis Ministris & fratribus Ordinis sanctæ Trinitatis, & redemptionis captiuorũ, tam præsentibus quàm futuris, religiosam vitam professis, nec non fratribus sororibus, & donatis eiusdem Ordinis, Salutem & apostolicam benedictionem, Sacer Ordo vester in agro Dominico, Diuina dispositione plantatus, Apostolicis gratijs dignè meretur attolli: cuius professores mundanis à se religatis illecebris, cœlestium contemplationi vacantes, insistunt iugiter profectibus animarum. Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu summo solido & stabili decreuimus & volumus permanere: Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ professores iam dicti, nullũ vitæ pacis patiantur excidium, nullumq; Religionis status perferãt detrimentum. Sed eò deuotionis Diuino cultu, ac salutis insistant operibus, quò quietior status fuerit eorundem, ipsiq; ampliori fuerint libertate donati. Ea propter dilecti in Domino filij, deuotionis vestræ precibus fauorabiliter annuentes: vos, & prædictum Ordinem, personas, Ecclesias, oratoria, domos, & loca vestra, & spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præsens, vel inhabitabitis in futurum: cũ omnibus iuribus, & pertinẽtijs suis, ac personis degẽtibus in eisdẽ, in ius, & proprietatem beati Petri, & apostolicæ Sedis assumimus: illaq; à cuiuscunq; diœcesani, & cuiuslibet alterius potestate, iurisdictione, & dominio omnimodo in perpetuam prorsus eximimus de gratia speciali. Decernentes ex nunc vos, & Ordinem vestrũ, fratres, Priorissas,

sorores

sorores, & donatos siue donatas, ac personas, Ecclesias, oratoria, domos, & loca prædicta, ac pertinentia ad eadem, soli Romano Pontifici, & dictæ Sedi, tam in spiritualibus, quã in temporalibus, absq; vllo medio subiacere: ita quòd nec locorũ Ordinarij, nec alia quæuis persona Ecclesiastica in vos & Ordinem vestrũ, personas, Ecclesias, oratoria, domos, & loca prædicta, vtpote prorsus exempta, possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem seu iurisdictionem aliquam exercere. Quòd si forsan quicquam in contrarium à quo cũq; fuerit attentatum, illud sit omnino irritũ et inane. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ assumptionis, & cõstitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datis Auinionæ, tertio decimo Kalendas Octobris. Pontificatus nostri anno quinto.

Eugenius quartus, ad perpetuam rei memoriã, huiusmodi Decretũ apostolico munimine roborauit et confirmauit: ac similiter Nicolaus quintus, et Pius secũdus Iudices executores, qui ĩ præmissis defẽsionis præsidio assisterẽt, cõcesserũt.

POST modũ autem Innocẽtius octauus, & Iulius secundus, etiam ad perpetuã rei memoriã, & prædicta cõfirmauerunt, & huiusmodi assumptionẽ, exemptionẽ, & immmunitatẽ prædictã, ad omnes & singulos familiares, & seruitores, præsentes & futuros actu seruientes, tam generali Ministro, quã alijs quibuscunq; huius Ordinis Ministris, domibus, fratribus, sororibus, & donatis, non obstantibus quibuscunq;, indulserunt.

FRATER PETRVS

ARIAS SACRAE THEOLOGIÆ PROFESSOR, Cõmissarius & apostolicus delegatus circa fratrũ ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis captiuorũ Prouinciæ Bethicæ reformationem, vniuersis eiusdem Prouinciæ professoribus.

SALVTEM ET religiose agere.

ATTENDITE AD PEtrã vnde excisi estis, & ad cauernã laci de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrũ, & ad Sarã quæ peperit vos, quia vnũ vocaui eum, & benedixi ei, et multiplicaui eũ. Peractis his nostris cõmitijs Hispalẽsibus per dei gratiam, et iam hac Bethica prouincia per me visitata (patres Reuerendi atq; in Christo dilecti) nõ alia in præsentiarũ se offerũt verba, quibus sub breuitate vos prouocẽ & inclinẽ, ad collapsæ religionis nostræ reparationem, quã quæ ex Esaia typice proponuntur. Vestris enim oculis vna mecũ vidistis quantum hic ordo sacer à pristino suo decore deciderit, & à patrũ

decretis exorbitauerit. Quare pro virili laborare debemus, vt noxias relaxationū nouitates euitemus, atq; quæ instituta vel à me innouata fuerint, ad vnguem obseruanda curemus. Alioquin (obsecro vos) quid prodest toties leges condere, & opere non implere? Nonne potius videri poterit virtutis irrisio, iustitiæ subsannatio, religionis prophanatio, & fomes ac lerna malorū? Hoc ratio, id honestas exigit. Hinc oritur vtilitas maxima, hinc cōmoditas locupletissima, hic est societatis nostræ neruus, quæ nisi fuerint religata legibus, iam desinet esse religio. Amplectimini canones, obseruate leges, decreta ne violetis, ac prose quisq; nitatur, se primum, de hinc suos accendere. Vos igitur alloquor antistites, vos appello primates, vos corā deo peruiscera misericordiæ Iesu Christi precor & obsecro, vt iniūcti vobis pastoralis muneris partes nō deserentes, in eo per vigiletis: quæ mala sunt, correctione, & emēdatione cōdigna castigetis, bona fouere, seruare, ac in melius promouere studeatis labētē, & pene cōscissam religionis integritatē retinere & instaurare, & in antiquā formā & pristinū cādorē restituere curetis, memores semper quod pro animabus vestræ curæ creditis, durissimo iudicio red dituris estis exactissimā rationē. Exemplo quoq; eius, qui cepit facere et inde docere, forma gregis et sanctæ cōuersationis exēplar charissimū fratris

ex

ex animo,vt vita vestra,magis quã verba, subditorũ relaxationes,& errata redarguar.Postremo cõtinua meditatione recolẽtes,quod in religione Christi nõ vt clero dominemur,sed, vt ex charitate,subditorũ saluti seruiamus,vocati sumus.Patres nõ dominos vestris vos subditis exhibete, regimẽ humilitatis per fastũ ambire, & propria lucra,& cõmoda vbi proximorũ salus curanda est, nolite requirere:quinimo iuxta apostolicã doctrinã omnibus omnia facti:vocem quãdo ꝗ mutare discite:nunc arguere,interdũ obsecrare, nonunquam increpare, secare & vrere:aliquãdo prout subditorũ infirmitatibus expedire cognoueritis: vtẽtes semper ea dexteritate, qua cũctis prodesse positis: vt salui fiant, ne si rubiginem altius eradere volueritis: vas fragile,precioso tamen Christi sanguine comparatum frangatur. Inferiores vero paterna pietate adhortor, & tanquam pro Christo legatione fungens obsecro, vt suæ professionis, & prioris propositi memores, ei qui nec falli, nec irrideri vult,mentiri formident,religionem cui se addixerunt colant, mores componãt,pudicitiam custodiant,cupiditatem, præsentaneum charitatis venenum veluti pestem deuitẽt,maiorũ leges,mandata, ac sancta exempla, studiosa,& humili emulentur obedientia, sacrarum literarũ studia præcipua diligentia cõplectã tur ac eis nocturnas diurnasq; horas impendere

 studeant.

ſtudeant. Vniuerſos poſtremo cuiuſcunq; gradus, qua poſſum inſtantia moneo, vt ſaluti cũ propriæ tum alienæ curandæ verbis, & exẽplis quam ſtudioſiſsime vigiletis. Omnes iuxta principis apoſtolorũ doctrinã vnanimes fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti humiles, tãquã lucernæ in medio nationis prauæ poſiti reſplendeatis, ne gratiæ qua ad Chriſti ſequelã vocati fuiſtis, ingratitudinis culpa ſuperabundet. Moueat vos ſaltẽ quod chriſtiani eſtis, & chriſtum prototypum effigiare debetis: qui vos de captiuitate ſæculi in religionem induxit. Sic enim adhortatur propheta, attendite (inquit) ad petrã (nempe ad Chriſtũ) vnde exciſſi eſtis. Attendite ad cauernam laci (profecto ad captiuitatem ſæculi) de qua educti & euocati eſtis. Moueat quoq; vos quod turpis eſt omnis pars quæ ſuo toti non congruat. Quare attẽdite ad Abraham patrẽ veſtrum, attẽdite (inquã) ad caput patrẽq; veſtrum huius almi ordinis inſtitutorem. Attendite demum ad Saram matrem veſtram (nempe ad huius religionis inſtitutionem) quæ à principio genuit vos, vt eſſetis anima vna & cor vnum in deo: vt eſſetis in populis ſpecialiter benedicti: vt deniq; multiplicati claritate doctrinæ, & exemplaritate vitæ, vniuerſum orbem illuſtraretis. Faxit faxit deus vt hæc omnia (pro voto noſtro) compleantur in vobis. Bene valete, & pro nobis orate.

Hic

¶ Hic est tenor quarundam literarum apostolicarum domini nostri diuina prouidentia Papæ quinti de verbo ad verbum, quarum virtute ego prædictus frater Petrus Arias sum creatus commissarius & apostolicus delegatus circa fratrum ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis captiuorum prouinciæ Bethicæ reformationem.

PIVS PAPA QVINTVS.

AD futuram rei memoriam. Singularis, feruensq; religionis zelus, eximiaq; fides, & diligentia, ac in rebus monasteriorum, aliorumq; regulariũ locorum, & personarum reformationem concerneñ. gerendis dexteritas, aliæq; innumeræ virtutes, quibus personam dilecti filij Petri Arias ordinis fratrum prædicatorum in sacra theologia professoris in monasterio sancti Pauli Hispaleñ. Castellæ nouæ aut prouinciæ Bethicæ residentis, multorum fide dignorum testimonijs iuuari percepimus, nobis indubie pollicentur, quod ille ea, quæ sibi committenda duxerimus, non minus accurate, quam prudenter exequetur. Hinc est quod nos qui alias supplicationibus charissimi in Christo filij nostri Philippi Hispaniarũ regis catholici inclinati, dilectos filios fratres ordinis sanctissimæ trinitatis redemptionis

captiuorum in Hiſpaniarum regnis exiſtentes, inter cæteras illarum partium regulares perſonas,quas reformatione plurimum indigere cognoueramus,per venerabiles fratres Archiepiſcopos,& Epiſcopos,in quorum diœceſi monaſteria eiuſdẽ ordinis ſanct. Trinitatis conſiſterẽt, perſe, vel alios ab eis deputandos,adiunctis ſecũ aliquibus fratribus ipſius ordinis fratrum prædicatorum ſub certis modo, & forma tunc expreſſis per alias noſtras in ſimili forma breuis expeditas literas viſitari, & reformari mandauimus, quiq; accepimus poſtea earundẽ literarum vigore fere omnia monaſteria ordinis ſanct. Trinitatis prædicti,illorumq; conuentus,& fratres viſitata,& forſan ad aliquã reformationẽ deueniri ceptũ fuiſſe,cupiẽtes eandẽ reformationẽ ad debitũ finẽ,dictoſq; fratres ordinis ſanct. Trinitatis prædicti ad regularẽ diſciplinã perduci,ac de dicti Petri Arias virtutibus plurimũ in domino confidẽtes,nec non prædictarũ literarũ, & inde ſequutorũ quorumcũq; tenores præſentibus pro expreſsis habentes,motu proprio,non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam ſed ex certa ſcientia & mera deliberatione noſtris,eundem fratrem Petrum noſtrũ & ſedis Apoſtolicæ cõmiſſariũ,& delegatũ in dicto regno Caſtellæ nouæ, aut prouinciæ Bethicæ ad infra ſcripta per agẽda apoſtolica autoritate, tenore

præſen

præsentiũ facimus, creamus, constituimus, & deputamus, ac sibi indictis regno, ac prouincia tantũ, visitationis iam factæ seu inceptæ, huiusmodi processus, & acta vidẽdi & examinandi, nec non Archiepiscopos, & episcopos, qui visitationi prædictæ præfuerint, ac quoscũq; notarios, & alias personas ecclesiasticas & sæculares, quacũq; autoritate, potestate, facultate & præeminentia, ac dignitate fungentes, ac ipsorũ Archiepiscoporũ & Episcoporũ vicarios generales, officiales, & alios ministros, vt sibi acta, & processus huiusmodi dent, tradant, & consignent, requirẽdi, monendi, & si opus fuerit, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas etiam pecuniarias eius arbitrio imponeñ. & eo ipso incurreñ. cogẽdi, & compellẽdi, & si opus fuerit auxiliũ brachij sæcularis inuocandi, & ea, quæ in visitatione huiusmodi salubriter ordinata fuerint, debitæ executioni demãdãdi, et si aliqua adhuc ex eisdẽ monasterijs & cõuentibus in dicta prouincia existẽtibus, noua indigeãt visitatione per se, vel alium, seu alios probos & idoneos fratrum prædicatorũ, seu etiã si sibi videbitur, eiusdem sanctissimæ Trinitatis ordinum huiusmodi viros ab eo deputandos de nouo visitandi, omnesq; eiusdem ordinis sanctissimæ Trinitatis à generali totius ordinis, seu alias deputatos ministros, & vicarios, prouinciales, priores cõuentuales, & alios quoscũq;

A 4 fratres

fratres inquocūq; prælaturæ munere constitutos qui in eisdem visitationibus, seu aliàs culpabiles reperti fuerint, iuxta sacros canones, & ipsius or dinis sanctissimæ Trinitatis regularia instituta, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicij, sed sola facti veritate inspecta, & prout ipsi solent, procedendi, corrigendi, castigandi, & puniendi, & si delicti qualitas id exege rit, vltra punitiones per canonicas sanctiones, & eorum regularia instituta inductas, eos etiam regulari habitu exuendi, ac ad triremes ad tempus seu in perpetuum transmittendi, et amplius, si criminis enormitas id exposceret, facta prius, pro ut ius exigit, per locorum ordinarios actuali degradatione, eos absq; alicuius irregularitatis incursu, curiæ sæculari puniendos tradendi, ministrū, seu ministros, & vicarios prouinciales à generali ministro, seu alias deputatos, priores con uētuales, cōmendatores ac alias quascūq; prælaturas, & præfecturas perpetuas, seu tēpus triēnale accedeñ. etiā si dicta autoritate apostolica con cessæ; seu cōfirmatæ, & approbatæ fuerint, ad tēpus saltē triēnale reducēdi, nec nō si sibi expedire videbitur etiā aliū, seu alios, vicariū, seu vicarios prouinciales ministros, priores conuentuales, ac quoscūq; alios p̄latos seu ministros etiā absq; capituli, seu eorūdē fratrū sanct. Trinitatis cōsensu qui absq; alia eiusdē sedis apostolicæ, aut fratrū supe

ſuperiorũ ſanct. Trinitatis huiuſmodi approba-
tione regere, & adminiſtrare poſsint, & valeãt tã
in prouincialibus, & cõuetualibus capitulis, quã
extra illa pro hac vice, & deinceps, donec præ-
ſentes literæ durauerint, eadẽ autoritate deputã
di & conſtituendi, ac prouincialia capitula præ-
dicta in locis, & temporibus, eidem Petro bene
viſis congregandi, & celebrandi, eiſq; præſiden-
di, prouinciales, & conuentuales miniſtros, ſeu
prælatos, vel commendatores & alios quoſcũq;
ipſius ordinis miniſtros, officiales & fratres qui
nunc ſunt, & pro tẽpore erunt, iuſtis exigentibus
cauſis abſq; vllo proceſſu de eorundem dignitati
bus, & officijs deponendi, eiſdemq; adminiſtra-
tione, etiam ſi perpetua, & dicta apoſtolica au-
thoritate ſuffulta exiſtat, interdicendi, & alios in
eorũ locũ ſufficiendi, ac inibi ſtatuta, regulas &
ordinationes pro eorum regulari diſciplina con
ſeruanda, & augenda, & ad quod tẽpus vicarium
ſeu vicarios prouinciales, miniſtros, priores con
uentuales, & alios prælatos, ſeu miniſtros, & offi
ciales eligi, & durare debeant, condendi, & con-
dita etiã antiqua reformãdi, ac in melius reducen
di, dummodo nihil, quod ſacris canonibus, & de
cretis concilij Tridentini ſit contrarium, & ſub-
ſtantiã votorũ per eos emiſſorum immutet; ſta-
tuat, nec nõ monaſteria & domus eorũdẽ fratrũ
ſanct. Trinitatis ad maiorem numerum fratrum

 redu-

reducendi,& ea, in quibus numerus saltem duodecim fratrũ cõmode sustentari nõ poterit, supprimẽdi,& alijs monasterijs eiusdẽ ordinis sanct. Trinitatis perpetuo vngendi,& incorporãdi, ita tñ, quod earũ ecclesiæ manu teneãtur,& cultus diuinus in eis debite exerceatur, oneraq; illis incũbentia cõgrue supportẽtur, nec non fratres ordinis sanct. Trinitatis de vna domo ad aliam,& de vna prouincia ad aliã prouinciã mittẽdi,& trãsmittẽdi, ac etiã prouincialibus, prioribus, seu cõmendatorijs,& alijs ministris,& officialibus ordinis sanct. Trinitatis huiusmodi in regimine,& administratione assistẽdi, seu alios ex eorundem fratrũ prædicatorũ vel ex sanct. Trinitatis si illos ad hoc idoneos repererit ordinibus huiusmodi sibi bene visos, qui assistãt, deputãdi, simulq; cũ eis in conuẽtibus ordinis sanct. Trinitatis huiusmodi cõmorandi,& monasteria, ac loca eiusdẽ ordinis sanct. Trinitatis perse, seu cũ ipsis dicti ordinis sanct. Trinitatis huiusmodi superioribus visitandi, correctioniq; & reformationi interessendi,& assistẽdi, nec nõ fratribus,& quibuscũq; superioribus dicti ordinis sanct. Trinitatis, quæcũq; quæ sibi benevisa fuerint præcipiẽdi,& mãdãdi, eosq; vt præfertur, corrigẽdi & puniẽdi, omniaq; alia,& singula, quæ pro visitatione, correctione,& reformatione ordinis sanct. Trinitatis huiusmodi tam in capitibus, quã in mẽbris, & tã

pro

pro monasterijs, seu domibus virorum, quã mulierũ, etiam si præmissis maiora fuerint, & maius & specialius mandatum requirerent, quã præsentibus sit expressum, autoritate, & tenore prædictis faciendi, dicẽdi, gerendi, exercẽdi, ac exequẽdi, plenam liberã, & omnimodã facultatẽ, potestatem & autoritatem, autoritate, & tenore prædictis damus, concedimus, & elargimur, sibiq; cõmittimus, & indulgemus, cũ potestate alios eiusdem ordinis fratrum prædicatorũ, seu sanct. Trinitatis fratres, si sibi visum fuerit in socios, qui eũ adiuuent, assumendi, & ex eisdem fratrum prædicatorum, seu sanct. Trinitatis ordinibus fratres in eius locum cum ea potestate, qua sibi visum fuerit, toties quoties opus fuerit, subdelegãdi, subdelegatosq; reuocandi, & alios in eorundem locum ponendi, ipsisq; vt onus eis iniunctũ non recusent, sed illud assumant, & adimpleant sub censuris & alijs pœnis sibi beneuisis præcipiendi, & mandandi, ita tamen vt potestas dicti Petri Arias propterea non expiret, mandantes propterea motu simili in virtute sanctæ obedientiæ & sub excomunicationis latæ sententiæ, ac indignationis nostræ pœnis eisdem ministro, seu ministris & vicarijs, ac alijs superioribus, omnibusq;, & singulis alijs eiusdem ordinis sanctissimæ Trinitatis personis, quatenus eidem Petro Arias, & ab eo subdelegandis præfa-

præfactis, nullo alio à nobis de super expectato mandato, etiã cessantibus prorsus quibusuis sub terfugijs, & dilationibus, oppositionibus, cõtradictionibus, & exeptionibus, in omnibus, & singulis premissis, & per dictum Petrum Arias statuendis, & ordinandis humiliter, & reuerẽter pareant, obediãt, & assistant, nec nõ venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & episcopis, in quorũ ciuitate vel diœcesi monasteria ordinis sanct. Trinitatis huiusmodi consistunt, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel aliũ, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcũq; vbi, & quãdo opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Petri, & ab eo subdelegandorũ prædictorum, & cuiuslibet eorum fuerint requisiti, solẽniter publicantes, ac eis, & cuilibet eorum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant authoritate nostra eundem Petrum, & ab eo subdelegãdos prædictos, ac eorũ quẽlibet creatione, cõstitutione, deputatione, cõcessione, elargitione, indulto, & mãdato, alijsq; p̃missis iuxta præsentiũ cõtinentiã & tenorẽ pacifice frui, & gaudere, nõ permittentes Petrum, & deputandos prædictos, ac eorũ quẽlibet desuper p quoscũq; quomodolibet, indebite molestari, pturbari, aut inquietari, cõtradictores quoslibet, & rebelles, ac p̃missis nõ parẽtes p sẽtẽtias, ceñ. & pœnas põtas alia q; opportuna iuris, et facti remedia, appellatione

pospo

poſpoſita compeſcendo, nec non legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus, illos ſentẽtias ceñ. et pœnas prædictas incurriſſe declarando, inuocato etiã adhoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus premiſsis, ac noſtra cancellariæ apoſtolicæ regula, & cõſtitutione de vnionibus cõmittendis ad partes vocatis quorũ intereſt, & exprimẽdo vero valore tam beneficij vniti, quã cui vnio fieri petitur, ac alijs noſtris in ſimili forma breuis literis ſuper reformatione ordinis fratrum ſanctiſsimæ Trinitatis huiuſmodi per nos dudũ cõceſsis, & vniuerſis venerabilibus fratribus archiepiſcopis, & epiſcopis, regnorum Hiſpaniarũ directis, quas in ea parte, qua præſentibus literis contrariantur & prædictũ Petrum in viſitatione, & reformatione ac alijs præſentium vigore gerendis, & faciendis impediant aut impedire poſſent, ſuſpendimus, nec non in prouincialibus, & ſynodalibus concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus coſtitutionibus & ordinationibus, nec non monaſteriorũ, & domuum, ac ordinum prædictorum, etiam iuramẽto, cõfirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegijs quoq; indultis, libertatibus, exemptionibus, cõſeruatorijs ac alijs literis apoſtolicis, etiam maremagnũ, & bulla aurea, aut alijs quomodolibet nuncupatis, monaſte

rijs.

rijs & domibus, ac ordinibus præfatis, eorumq; superioribus, & personis in genere, vel in specie etiam in fauorem dictæ regularis disciplinæ, etiã per quoscunq; Romanos pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem apostolicem, etiam motu & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq;, & alijs decretis etiam per modũ statuti perpetui, ac ex quibusuis causis, etiam iteratis vicibus cõcessis, approbatis, & innouatis, etiam forsan, quod ipsius ordinis sanctissimæ Trinitatis personæ, nullatenus, aut nisi per earum superiores, vel prouinciales visitari, & reformari possint, disponentibus. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficiẽti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importãtes & eandem vim habentes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, insererẽtur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore per mansuris, harum serie hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, motu,

motu,& sciencia similibus derogamus,illacꝫ aduersus præmissa nullatenus suffragari posse volumus cõtrarijs quibuscunqꝫ.Aut si generali,& prouincialibus,& alijs personis ordinis sanctissimæ Trinitatis huiusmodi,vel quibusuis alijs communiter,vel diuisim ab eadem sit sede indultũ,quod interdici,suspendi,vel excõmunicari nõ posint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Præsentibus ad quadriennium,& deinde ad nostrum,& dictæ sedis beneplacitum duraturis,volentes,statuentes,& ordinantes,omnia per dictum Petrum vigore præsentium acta,facta,statuta,gesta,& ordinata perpetuo valere,permanere,& valida & efficacia existere, suosqꝫ debitos effectus sortiri debere, & per dictos generalem,vicarium,seu vicarios,ministros,priores,& alios fratres ordinis sanctissimæ Trinitatis huiusmodi inuiolabiliter teneri, & obseruari debere. Datis Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die.xx.Augusti.M.D.LX.IX.

Pontificatus Nostri.

Anno quarto.

(☙)

Læ

QVæ quidem literæ reuerendo patri præsentato fratri Illefonso Palomino huius prouinciæ Bethicæ sanctissimæ Trinitatis Prouinciali & toti prouinciæ in capitulo Cordubæ habito. In dñica in cantate anno 1570. notificatæ sunt, ab ipsoq; & tota prouincia & reuerēter receptæ & magna cū obediētia susceptæ sunt. Nos proinde mandatum apostolicum exequentes, processus & acta per Archiepiscopos & Episcopos & ab eis deputatos præscripta, circa visitationē, & reformationē singulorū monasteriorū eiusdē prouinciæ vidētes, et legētes, ac deinde omnia monasteria dictæ prouinciæ p nos visitantes, eorūq; apostolica regula & constitutionibus tā generalibus quā prouincialibus diligēter perspectis et intime p nos cōsideratis, maturaq; deliberatione præhabita, vt vnitati et paci fratrū eiusdē ordinis sanct. Trinitatis in omnibus & p omnia prouideremus, autoritate apostolica qua in hac parte fungimur, has subiectas constitutiones perpetuo duraturas sancientes, quas collegimus tam ex ipsius met ordinis apostolica regula, quā ex primæuis & antiquis eiusdem stabilimētis alio tamen cōmodiori ordine digessimus, Nonnihil interdū omittentes, nonnihil addentes & immutantes, secundū quod nobis visum est expedire. Quarum constitutionum ordo & tenor est qui inferius statim adnotatur.

CONSTITV TIONES FRATRVM ordinis Sanctissimæ Trinitatis, redemptionis Captiuorum, huius Prouinciæ Bethicæ iuxta nouam reformationem nuper recognitæ.

PROLOGVS QVO MVLTA explicantur, & adnotantur.

IN NOMINE SANCTE ac indiuiduæ Trinitatis, Patris, & filij & spiritus sancti: A quo omne datũ optimum & omne donum perfectum. Cum legum multitudo potius vitam obruere regularẽ, quã obseruantiam, instruere (teste experientia) comperiatur, earumq; frequens mutatio, grauitatem tollat earum, dum pro nihilo ducuntur, quæ variandæ sperantur, iustum esse duximus hijs ocurrere, ne & multitudine obliuioni mandentur, & varietate vita fratrum nutet, quod profecto eo melius fiet, si perpetuo duratura quæ obseruanda sunt sanciantur. Non enim paßim, ac nisi pro graui vrgentiq; causa constitutiones fieri licet.

AT vero (vt constitutionum multitudo vitetur) prohibemus omnino, ne de cætero aliquid. Per modum constitutionis statuatur, nisi per duo generalia capitula continua fuerit approbatũ, ac in tertio Capitulo immediate sequenti

 confir

confirmatum, autoritateq; maioris ministri roboratum. Quod si aliquid horum defuerit, vim constitutionis minimè habeat.

ET *vt securitati consciẽtiæ religiosorum in posterum prouideamus, volumus & declaramus regulam & constitutiones nostras non obligare nos ad culpam sed ad pœnam, nisi propter formale præceptum vel contemptum.*

PRAECEPTVM *vero in regula nullũ intelligimus, nec in constitutionibus volumus contineri, nisi quod de natura sua est ratione trium votorũ, vel diuinæ aut ecclesiasticæ legis, aut vbi sentẽtia excomunicatiõis infligitur, aut formaliter exprimitur, per verbum præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vel spiritusancti, vel sub præcepto formali, atq; idem in ordinationibus & prælatorũ verbis, iussionibus, & literis intelligi volumus. Pœnam etiam excomunicationis latæ sententiæ (tam in constitutionibus quam extra) per nulla verba in nostro ordine intelligimus, nisi vbi explicite, & verbaliter pœna excoĩs, & excomunicatio latæ sentẽtiæ exprimitur. Nec prælati in exteriori ira præcepta faciant obligantia ad mortale maxime contra subditum turbatum quod si fecerint, irrita sint & inania, valeant tamen ad quascunq; pœnas temporales. Præcepta quoq; in scriptis facta, censeantur sine ira facta. Nec quieto animo nisi in scriptis extra necessitatis articulum præcepta faciant, sed si fecerint suum robur habeant.*

POENIS *vero tam absolutionis ab officio, quã priuationis vocis actiuæ vel passiuæ, nec nõ grauioris culpæ, & alijs maioribus, quãtũcunq; tam in constitutionibus, quam*

extra ipso facto sint incurrēdæ(nisi sit pœna excōmunicationis latæ sententiæ)nullus omnino sit subiectus,nisi superueniat declaratio prælati in particulari respectu huius,quā tūcunq; etiam notorium facti vel iuris,aut vtriusq; interueniat. Nullus item ad pœnam grauioris culpæ, aut carceris damnetur,nisi in iudicio confessus vel conuictus fuerit,& inscriptis. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane.

ORDINATIONES *autem tam capitulorum generalium seu maioris ministri ordinis, quam prouincialis, vel capitulorum prouincialium (quoad vim præcepti & censurarum ecclesiasticarum) cum ipsis expirare volumus. Vita vero Capituli & tempus ipsius vsq; ad sequēs capitulum intelligatur. Quo ad reliqua vero,quomodolibet per generale capitulum, vel maiorem ministrum facta durare volumus, donec per similem potestatem fuerint reuocata. Ab inferioribus autem capitulis & prælatis quomodolibet ordinata; nisi per sequentia capitula confirmentur expirent cum ipsis (exceptis Vicarijs conuentuum & confessoribus tam fratrum quam monialium & ipsarum Vicarijs & officialibus conuentuum.) Hos enim volumus durare cum ea, quam habent autoritate, donec reuocentur ab habente potestatem destituendi eosdem.*

Caueant & prælati à præceptorū multitudine,aut cēsurarum, aut ordinationum,ne laqueos animabus subditorum iniiciāt. Nec propter defectū vnius vel duorū,quē,vel quos fortasis corrigere nō audent,totam cōmunitatē inuoluant.

AD HAEC *itidē prælatus in suo cōuētu dispēsandi cū fratribus habeat potestatē,cū sibi ex rationabili causa*

aliquando videbitur expedire, in his præcipue, quæ studiū, vel prædicationem, vel animarum fructum, aut captiuorū redemptionem videntur impedire. Ministri etiam vt alij fratres suis vtantur dispensationibus.

VT igitur vnitati & paci fratrū prouideremus, librū istū quem constitutionum appellamus, autoritate apostolica nobis indita, maturaq; deliberatione, diligenter conscripsimus: in quo duas distinctiones annotauimus per certa quædam capitula distinctas vt quod quæritur, facilius inueniatur.

DISTINCTIO PRIMA.

CAP. I. DE OFFICIO DIUINO, & suffragijs fratrum defunctorum.

CVM nihil operi Dei sit præponendum, sed diligēter intendendum, imprimis statuimus quod omnes religiosi nostri ordinis existentes & commorantes in nostris conuentibus & domibus, audito primo signo surgant ad matutinas, & iuxta chorum congregentur cum silentio, factoq; secundo signo ordinatim chorum ingrediantur: quod idem ad primam & cæteras horas obseruari volumus. Regularibus & canonicis horis tam laici quam clerici interesse debent, & qui operibus præsunt, vel illis deputati sunt, exceptis dūtaxat debilibus, & propter infirmitatem ad Ecclesiam venire non valentibus, & eis etiam exceptis

cum

cum quibus prælatus ob prædicationem, vel studium, seu laborem, dispensare voluerit, Quod si aliqui sine prælati licentia defuerint, communi cibo careant, & si creuerit culpa, crescat & pœna.

NVLLVS incepta hora canonica vsq; ad eius finem è choro exeat, si autẽ necessaria causa quis cum licentia exierit, moram non faciat, quam si fecerit, culpam suam in capitulo agnoscat.

IN festis solẽnibus nemo quamuis graduatus à matutinis deficiat, exceptis infirmitate laborantibus, si qui defuerint cõmuni cibo careant, ac si creuerit culpa, crescat & pœna.

MINISTRI cum suis fratribus simul choro intersint, diligenterq; studeant, vt horæ cum reuerẽtia & Dei timore dicantur. Non magnæ voces seu vllulationes in cantu fiant, sed paßim & succinctè dicantur, sine exclamatione & longo puncto, itaq; in medio vox præscindatur, nec alter chorus versum suum incipiat, donec versus alterius chori plenè fuerit terminatus. Nullus aliũ in psallendo præueniat aut sequatur, sed simul omnes conueniant. Ministri in omnibus præcipuis festiuitatibus officium agant, dũmodo legitima excusatione impediti non sint. Cætera ad diuinum officium expectantia ab ordinis cæremoniali aßumi volumus.

SANCTVM præterea eucharistiæ sacramẽtũ, quod in mundißimis corporalibus & in custodia clausum esse debet, omni quinta feria solenniter innouari volumus.

FRATRES vero laici cum ad Matutinas surrexerint, dicant Pater noster, & Credo in Deum. Quod faciendum est ante primam & post Completorium. In Matutinis

dicto Pater noster & Credo in Deum dicant domine labia mea aperies &c. Et Deus in adiutorium cum Gloria patri, & quindecim Pater noster dicent, & pro laudibus decem Pater noster, & in fine addant: Per Dominum nostrũ. &c. Et deinde Benedicamus Domino. &c. In vesperis vero quatuordecim Pater noster dicant, in aliis horis prima, tertia, sexta, nona & completorio dicant pro qualibet hora septẽ Pater noster. Pro officio minori Beatæ virginis dicent Tot Aue Maria pro qualibet hora, quot pater noster dicant pro officio maiori in qualibet hora. Et in fine cuiuslibet horæ officij Beatæ Virginis dicent Salue regina.

QVANDO aliquis minister vel religiosus obierit in aliquo ordinis monasterio vel extra, in die quo eius obitus nuntiatus fuerit, in domo suæ habitationis fiat recomendatio ad plenum nihil dimittendo, & officium sepulturæ cum officio defunctorum pro ipso dicatur. Quod si propter fratrum paucitatem solenniter decantari non possit, submissa voce fiat. Si Sacerdos fuerit, inhumatione eius omnes sacerdotes stolas ad collum habeant, per nouem q; dies ab eius obitu missa conuentualiter solenniter decantetur. Celebrenturq; obsequiæ secundum quod posse domus & dignitas personæ exposcunt.

QVILIBET illius domus sacerdos pro fratre defuncto, tres missas celebret, religiosus vero clericus & non sacerdos tria integra defunctoaum officia pro ipso dicat, laicus autem cẽtum quinquaginta Pater noster. Missam pro fratre defuncto minister cantet, si præsens in conuentu fuerit & totum officium exequiarum agat. In quolibet etiam prouinciæ conuentu, die quo eius obitus nuntia-

nuntiatus fuerit, solennis vigilat trium lectionum ac conuentualis missa pro eo decantetur.

I N O M N I secunda feria (præter quam in die octauo Paschæ, Pentecostes, Natiuitatis Domini, Circuncisionis & Epiphanæ, & præterquam in festiuitatibus quæ tali feria contigunt, vbi populus feriatur) solennis cum processione Missa decantetur, & in præcedenti Dominica vigilia trium lectionum cum inuitatorio, pro fratribus & benefactoribus defunctis dicatur. Similiter pro eisdem defunctis benefactoribus & fratribus, quattuor anniuersaria solennia fiant, vbi missa & totum officium defunctorum cantetur, & processio fiat (videlicet) ante festum Paschæ Pentecostes, Natiuitatis Domini, & in die animarum atq; singulis totius quadragesimæ Dominicis, vesperæ & vigilia defunctorum recitentur, prout in breuiario assignantur.

O M N E S præterea Ministri ad prouinciale Capitulum, & numerum; & nomina fratrum in suis conuentibus, vel extra decessorum deferant, vt ibidem a pleno Capitulo solennis Vigilia, & Missa pro ipsis decantetur. Minister huius statuti immemor, pœne grauis culpæ subiaceat.

M I N I S T R I S præterea & præsidentibus nostrorum conuentuũ, & alijs qui eleemosynis seu stipendijs missarum deputati sunt, districte mandamus, vt missarum per singulos dies aduenientium cum numerum dumtaxat admittant, quem commode possint implere, ne vltra modũ grauati, occurrentibus alijs occupationibus satisfacere nequeãt, & ne hac occasione sacerdotes, aut non

admodum dispositi, aut ex consuetudine potius quam deuotionis affectu ad tremendum altare interim accedant. Sint vero maior missarum numerusq; ad impleri possit receptus inueniatur, inuiolabiliter mādamus stipendia & eleemosynas earum seruari, vt quā primum per se vel per alios satisfaciant, atq; circa hoc pater Prouincialis & visitatores euigilent.

ET ne deinceps sufragiorum & missarum grauamina nostris conuentibus imponantur, nulla perpetua obligatio ad certas missas, vel suffragia admittatur, nisi tale fuerit substentationis annexum subsidium, quod prudentum consilio sufficiens extimetur. Vt vero cum maiori consideratione hoc fiat, nolumus quod huiusmodi contractus rati habeātur, nisi prælati, & maioris partis conuentus consensus accesserit, & prælati oppositum facientes, à suis quidem officijs absoluantur.

CAP. II. DE HIIS QVAE ad redemptionem captiuorum. pertinent.

CVM SACER HIC ORDO tam exprimæua sui reuelata institutione, quam etiam ex regulari præceptione, ad captiuorum redemptionem singulariter institutus noscatur, atq; etiam per multos fidelium eleemosynis adiutus in ipsa se laudabiliter exercuerit, ne à simili sancta institutione, ac pio nominis opere desistat,

distat, quinimo in dies in olescat. præcipimus ministris & præsidentibus & depositarijs sub sanctæ obedientiæ præcepto formali & sub pœna excomunicationis latæ sententiæ vna pro trina canonica monitione præmissa vt quicunq; nummi seu alia bona debito tempore in nūmos redacta, vtcunq; pro redemptione captiuorum habita, siue eleemosyna liter elargita, priuilegiorum & regum ratione, & quæ Vacines mostrencos, desemparentados testamentos, mandas pias, hispano sermone dicuntur, & alia similia legata, in peculiari archa (præter commune depositum cōuentus) tribus clauibus clausa, quarum vnam minister, alias vero duas duo fratres, videlicet, Vicarius & Sacrista habeāt, fideliter & reponantur & custodiantur, vsq; dum cui redemptionis munus fuerit iniunctum tradantur. Et sub eodem præcepto & censura præcipimus eisdem vt huiusmodi bona nec sub ratione mutui vel quocunq; alio prætextu in alia re accipiantur aut expēdantur nisi in redemptione captiuorum. Et vt hoc vtilius & fidelius fiat in quolibet deposito rationalis liber deputetur, quo solum ea omnia quæ ipsius met redemptionis erunt scribantur, & ratio tam dati quam accepti habeatur.

DEPOSITARII adminus bis in anno dē hȳs quæ ad redemptionem captiuorum expectant, rationem reddant, videlicet, in festo & octauis omnium Sanctorum & Resurrectionis Dominicæ, & Codicem rubricatum patri Prouinciali in qualibet visitatione ostendant.

MINISTER qui horum aliquid ommisserit seu contrarium fecerit, irremißibiliter tanquā suæ sanctæ institutionis dilapidator ab officio administrationis deponatur,

& pœnis grauioris culpæ subiaceat.

CAP. III. DE COMMVNItate seruanda & deposito, & cellario.

12. q. 1. c. CVM HVIVS NOSTRÆ congregationis fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus proprijs renunciauerint in ipsamet ordinis acceptione, & semper promissā obediētiam, penitus prælatorū potestati & imperijs in Christo & pro Christo subdiderint: certum est nihil habere, possidere, dare vel accipere sine superioris licencia debere. Et ne oppositum facietes sint similes Vxori Loth quæ retro aspiciens in salis statuam conuersa est, incidantq; in saluatoris sententiam dicentis, nemo mittens manum ad aratrum & retro aspiciens, regno Dei aptus est, ideoq; prout in concilio Tridētino decretum

Ses. 25. c. 2 de regularibus. est, nemini regularium istius ordinis tam virorum quā mulierum, bona immobilia, vel mobilia, cuiuscunq; qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere liceat, sed statim ea superiori tradantur, & cōuentui incorporētur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsum fructum, vel vsum administrationem aut commēdam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu conuetuū, ad solos officiales eorundem, ad nutum superiorum à mobiles, pertineat. Mobilium vero vsum ita superiores permittant, vt eorum

sup-

suppellex statui paupertatis quam professi sunt, conueniat, nihilq; superflui in ea sit. Nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biẽnio actiua & passiua voce priuatus sit, atq; etiam iuxta regulæ & ordinis constitutiones puniatur. Quicunq; igitur frater pecuniam vel quæuis alia receperit, vel habuerit, vel expenderit, vel dispensauerit, vel dispensare fecerit, quæ secũdum paupertatis statum, per superiores permissa sunt, ea omnia singulis annis prælatus exponat, vel inscriptis, tanquam se expolians præsentet, & rationem de singulis reddat semel vel pluries si fuerit requisitus, videlicet, maior minister ordinis correctoribus capituli generalis, minister Prouincialis Correctoribus capituli Prouincialis: Minister conuẽtualis, Ministro Prouinciali vel visitatori, cæteri vero fratres Ministro conuentuali.

EXCOMVNICATIONIS sententiã Minister semel in anno, videlicet, in cœna Domini in Capitulo solẽniter contra proprietarios publicabit, & ibidem omnium fratrum claues minister capiat, & omniũ priuatas (nullo excepto) cellas, & arcas visitet, & si quid paupertatis statui non conueniens inuenerit, auferat, & communi vtilitati applicetur. Quotiescunq; Minister clauem fratris petierit, absq; vlla mora ei tradatur. Proprium autem iuxta sacros canones appellamus, quicquid prælato celatur, vel contra eius voluntatem tenetur.

Prohibemus insuper virtute sanctæ obedientiæ sub præcepto formali, ne aliquis minister seu frater nostri ordinis depositum extra domũ habeat, vel temere thesaurizare præsumat.

præsumat, nec intra domum, nec extra aliquid prælato celet. Si quis hoc grauißimum crimem committere non erubuerit, siue minister, siue frater fuerit conuictus vel confessus, ab omni officio per octo annos cõtinuos præcisse priuetur, & pœna grauioris culpæ iuxta qualitatem delicti puniatur, & bona illa omnia sic reperta capiantur, & infirmariæ vel communi vtilitati sine dispensatione applicentur

STATVIMVS præterea in quolibet ordinis monasterio (vt consuetudo est) pro communitatis deposito archam tribus clauibus clausam constitui, quarum vnam minister, alias vero duo fratres ex religiosioribus à maiore parte capituli Conuentualis electi, & à ministro confirmati habeant, quorum officium per quattuor durabit menses. Quicquid vndecunq; licite venerit in nummos redactum in tali deposito reseruabitur & claues horrei vbi triticum & ordeum recondi solet, & similiter tituli possessionum & hæreditatum conuentuũ cũ omnibus scripturis. Minister ex causa & de cõsilio discretorũ depositarios ante quattuor mẽses ammouere poterit, atq; eosdem si expedierit iterum eligi immediate posse censemus. Qui quidẽ depositarij Ministro & depositarijs nouiter incipientibus rationem reddant quaternis mẽsibus. Sit etiam in quocunq; cõuentu religiosus cellarius cui minister & depositarij pecuniã ad distribuendũ dent, qui in fine cuiuslibet mensis de omni peccunia recepta & distributa, & Sabbato cuiuscũq; Hebdomadæ de receptis rationẽ reddat Ministro & depositarijs. Minister qui circa hæc negligens fuerit à patre prouinciali iuxta delicti qualitatẽ corigatur.

Minister

Minister & depositarij qualibet visitatione & de redditibus domus, & de receptis & distributis rationem redde re teneantur.

CAP. IIII. DE CONFES sione & communione fratrum.

CVM fratres nostri ordinis diuino sint obsequio mancipati maxime præsbiteri, statuimus & ordinamus quod non solum die dominica, verum etiam qualibet die si necessitas exegerit, confiteri debeāt, et si se dispositos inuenerint celebrare. Cæteri vero omnes non præsbiteri qualibet die dominica confiteātur & à quindecim in quindecim dies communicent. Tempore autem aduentus & quadragesimali qualibet dominica mē sis & confiteri & communicare debent.

DEPVTATI à ministro in vnoquoq; conuentu fratrum confessiones audiant, & qui sub magistri cura sunt, cum ipso magistro nouitiorum confiteri teneantur, nisi aliquando magister cum aliquo dispensauerit.

PRAELATI quando eis æquum videbitur, casus sibi reseruare possint, à quibus nullus confessor absoluere valeat, nisi cui specialiter commissum fuerit.

CAP. V. DE IEIVNIIS collatione, & disciplina.

A *Dominica proximiori festo sancti Martini hyēmalis vsq; ad natale Domini continuum habebunt fratres*

ieiunium

ieiunium(exceptis dominicis diebus)nec cum aliquo dispen setur nisi ex iusta & rationabili causa, & à quinquagesima vsq; ad Pascha,& in prima & vltima die rogationũ, & omnibus sextis ferijs etiam inter Pascha & Pentecostes nisi festum solẽne quod totum duplex dicitur, ocurrerit. A quinquagesima vsq; ad pascha & in aduentu & in ieiunij ab Ecclesia institutis vtentur fratres cibo quadragesimali. In parasceue vero in pane & aqua irrimißibili abstinebunt.

Facto signo ad collationem omnes conueniant fratres, quibus refectorium ingreßis,ac stantibus,lectione completorij quæ fratres incipit,finita,cum benedicite, præsidens benedicat dicens,largitor omnium bonorum benedicat collationem seruorum suorum Pater,& filius,& spiritus sanctus.Responsoq; Amen, sedebunt omnes audiendo lectionem,factoq; à prælato signo,qui voluerint poterunt moderate nimis collationem sumere.Post vltimũ signum, lector terminet lectionẽ dicẽs.Omnia prætereunt præter amare Deum:tu autẽ.&c.Surgẽtibusq; dicat prælatus: Adiutoriũ.&c.Benedicamus domino.&c.Et exeũtes ad Cõpletorium cũ silentio eant,excepto quadrageßimali tẽpore,quo completorium ante collationem,videlicet,hora tertia post meridiem decantetur,& tunc lectio fratres & ante collationem non recitetur.

QVALIBET sextaferia quadragesimæ post solis occasum in capitulo,vel in choro omnes simul disciplinã habeant cũ Psal.Miserere mei Deus.&c.Et Antiph. Christus factus est.&c.Et versu dederunt in escam meam fel. Et oratione Respice quæsumus domine.&c.Atq; idẽ fiat quarta,

quarta, quinta & sexta feria Maioris Hebdomadæ. Frater qui disciplinæ non adfuerit nisi ratione in firmitatis, in terra panem & aquam solum comedat.

CAP. VI. DE REFECTIONE.

V*NIVERSI fratres ad vtramq; refectionem prādij & cœnæ post pulsationē lotis manibus, in loco de profundis nūcupato conueniāt, ibiq; Psalmo de Profundis cū oratione pro defunctis benefactoribus recitato, Refectorium ingredientur, & vterq; chorus hinc & illinc iuxta mensas ex vtraq; parte diuidatur, minoribus inferius remanentibus, & senioribus antiquitate à die professionis numerata, superius ascendentibus, ministroq; medium ingredienti se se inclinabūt. Factoq; à prælato signo lector dicat Benedicite, & Conuentus Benedictionem prosequatur, qua finita, vnusquisq; reuerenter antiquitate (vt prædiximus) seruata sedeat.*

Lectio prandij dierū dominicaliū & aliarū festiuitatū de homilia occurrētis euāgelij erit, alijs vero diebus sacræ scripturæ sit, iuxta tēporis qualitatē, videlicet, in aduentu Domini, Esaiæ prophetæ & aliorū prophetarū, in septuagesima vero & sexagesima & quinquagesima, Genesis & totius Pēthateuci, inter Pascha aūt & Pentecostē, actuū Apostolorū & Apocalypsis. Infra annum item prouerbiorū & aliorū librorū sapientialiū atq; historiarū. Similiter de vitis sanctorū quorum festiuitates illis diebus celebrantur & præcipue in cœna, & de aliqua religiosorum doctrina.

Feria

feria autem sexta Regula legi debet, ac quotidie aliquid constitutionis vel cæremoniarum capitulum, ita vt lectio nunquam inter prandendum & cœnandum prætermittatur.

FINITA refectione vnusquisq; de missa facie & vestibus complicatis, manibus in scapulario inclusis sedeat, collectisq; reliquijs, factoq; secundo signo, lector tu autem dicet, & illico surgentes ante mensas suis in locis stabunt, & dicto agimus tibi gratias & post prandiũ & cœnam processionaliter ad Ecclesiã cũ Psalmo Miserere egrediẽtur. Post refectionem vero nullus refectorium ingrediatur.

MINISTRI in refectorio comedant, & cibarijs conuentus sint contenti, laici & clerici fratres eodem refectorio, mensa, & victu vtantur, nouitijq; seorsum sedeant.

DIEBVS prohibitis carnibus vesci, nec causa infirmitatis nec vlla alia intra refectorium carnem aliquam comedere permittimus, sed secundo. Ex causa rationabili in hospitio vel infirmaria, nisi tanta sit ædificiorum penuria, quod aliter fieri nequeat. Minister qui circa horum obseruationem negligens fuerit, panem & aquam coram ministro prouinciali comedat.

CAP. VII. DE INFIRMARIA & Hospitio.

CIRCA infirmos, caueat ne sit negligens prælatus. Sic enim procurandi sunt infirmi vt citius releuentur. In quolibet nostri ordinis monasterio iuxta vniuscuiusq; possibi-

poßibilitatem: fiat locus qui appellari solet infirmaria, cui aliquis religiosus pius ac charitate feruens deputetur, qui quidem leniter & alacriter infirmis medeatur, & secundum medici arbitrium & domus facultatẽ eis nescessaria subministret. In infirmaria sint lecti, in quibus iaceant infirmi, & inde nullatenus exeant nisi medici consilio, & infirmarij licẽcia. Similiter vasa & omnia infirmorũ curæ nescessaria ibi reponantur. In ipsa infirmaria sit oratorium seu altare vt rem diuinam poßint audire infirmi. Qui vero non graui morbo laborant, choro intersint.

QVIA ad opera charitatis ex regulari præceptione tenemur, ordinamus & mandamus omnibus nostræ prouinciæ ministris, vt in omnibus domibus suarũ administrationum habeant seorsum hospitia (secundum facultatem domus) ad recipiendos fratres hospites euntes & redeuntes: deputeturq; aliquis religiosus diligens, qui eos benigne & gratiose recipiat & nescessaria administret, ac humiliter eorum pedes lauet, exemplum ab antiquis patribus sumens.

CAP. VIII. DE DORmitorio & lectis.

CVM aßiduum in dormitorio silentium obseruare teneamur, ostium dormitorij sic claudi volumus, vt nulli sæcularium etiam alicuius fratris consanguineo additus pateat: nisi è rationabili causa, & licencia ministri prius obtenta. Nec ibidem aliquis frater aliquid bibat aut comedat, seu bibere aut come

 dere

dere permittatur. Silentij tempore nullus à dormitorio discedat, nisi de ministri licēcia, & tūc per acto negocio absq; mora ad dormitorium redeat.

Nullus frater alterius fratris cellā, altero intùs existēte, nisi de licencia Ministri seu præsidentis in eius absentia intret (cella Ministri omni tempore excepta, & magistrorum Theologiæ extra tempus silentij, & magistri nouitiorum quo ad eos quorum curam gerit.) Nec audeat aliquis fratrum cellam fratris per rimulam, vel fenestram inspicere. Nec aliquis extra dormitorium, nisi ob senectutem aut infirmitatem dormiat. Nec vllo modo in dormitorio vel extra duos fratres simul vno lecto dormire permittimus.

L E C T O S omnino præparari volumus, vt in regula ad notatur, ita vt fratres in laneis iaceant, & lineis linteaminibus non vtantur, nisi in infirmaria & hospitio. Qui contra aliquid horum fecerit, tanquam in obediens pro prima vice in refectorio panem & aquam in terra comedat, pro secunda vero pœna grauis culpæ puniatur.

CAP. III. DE VESTITV, & honestate habitus & tonsura.

VESTIMENTA fratrum sint lanea & alba: Capa vero brunei coloris erit. Lineis tunicis ad carnem non vtantur, nisi infirmitatis causa, licencia ad tempus (iuxta necessitatem) prius habita. Omnes Ministri & fratres,

tres, vno eodemq; panno, & mediocri induantur: ne cupiant vestibus placere, sed moribus. Vestes praeterea non sint curiosae: sed in factura vniformes. Superioris tunicae longitudo vsq; ad poplitem pedis. Cappa vero nesgata cum cruce in pectore, duobus saltem digitis breuior sit tunica. Scapulariũ similiter, sed latitudine cooperiat cõmissuram manicarum & tunicae. De caputijs sicut & scapularijs seruetur modus & honestas & habitus, qui hucusq; in reformatione est solitus seruari.

PELLICEAE & pellex, quae aliquibus ob causam conceduntur, de pellibus agnorum sint, ita vt syluestres cuiuscunq; generis minimè permittantur. Zona nigri coloris sit, latitudine duorum digitorum, sed longitudo talis esse debet, quod vna pars super alterã veniat. Calceamenta sint clausa, nigri coloris, & alta taliter ordinata quod non excedant genua. Liceat fratribus portare subtularia & caligas vsq; ad genua, & non aliter nisi sint equitãtes: nec vllo modo deferant cothurnos. Calceamenta habeant in apertura duas corrigeas, & non sint facturae laicalis.

PRAETEREA in quolibet nostri ordinis monasterio maturus vestuarius deputetur, qui in officina quadam peculiari omnes vestes custodiat atq; suppellectilia, & calceamenta, pannosq; tam lineos quam laneos. Et de licencia ministri omnibus fratribus, tam de vestitu, quam de calceamentis prouideat: & diligenter studiat, ne vestes à tinea comedantur. Et in omnibus quae ad suum officium pertinent, cum charitate & hilaritate diligentiam adhibeat.

IN rasura ordinem Sancti Victoris sequantur

(videlicet) coronas amplas paucorum capillorum, quantitate trium digitorum super aures, ita vt discooperta habeāt & sic proportionabiliter in circuitu, plus minus ve, vt dispositio partium capitis exigit. Fratres vero laicos nullo modo coronas habere permittimus: sed in superficie capilli capitis eorum tondantur. Minister qui coronā fratri laico concesserit, ab officio eo ipso absoluatur. Sint vero Minister Prouincialis fuerit, per capituli prouincialis diffinitores seuerè corrigatur, & nihilominus talis laicus corona priuetur.

CAP. X. DE SILENTIO. & circatione.

De statu Monachorū, c. cū ad monasterium.

CVM in nostra Apostolica regula expresse caueatur, fratres ordinis in choro, refectorio, dormitorio, & in claūstro silentium obseruare, ac extra prædicta loca, solum eis tēporibus aptis, submissa voce, humiliter & honeste loqui licere, hoc idem ministros & fratres inuiolabiliter custodire præcipimus, in choro & Ecclesia, maximè dum diuina celebrantur. Minimè confabulētur: nec in claustro fieri permittantur ludi aut aliquæ insolentiæ. In dormitorio vero nisi valde submissè, & cum licencia nullatenus loquantur. In refectorio etiam in prandio & post silentium obseruabunt. Nec ibi sæculares prādere, aut comedere permittantur, nisi ex causa rationabili & maturo consilio.

IN quolibet nostri ordinis monasterio à die resurrectionis dominicæ vsq; ad festum exaltationis sanctæ crucis pulse-

pulſetur poſt prandium ad ſilentium(quo ſigno audito)fratres compellantur ire ad dormitorium:durabitq; ſilentium ab hora vndecima vſq; ad nonam dictam. In nocte etiam pulſabitur ad ſilentium:in vere hora octaua,in hyeme autem hora ſeptima.Quod quidem durabit vſq; ad precioſa.

INSVPER in quocunq; ordinis monaſterio quiddam religioſus ordinis zelator deputetur,qui circator ſit:cui ſedule aſpicere incumbit,ne temporibus ſtatutis ab aliquo ſilentium frangatur, & die noctuq; diligenter domum circundare,ac an fores clauſæ ſint,an non,circunſpicere.Quod ſi quos ſilentium frangentes inuenerit,in precio ſa pro clamare vt à prælato corrigantur. Si aliquis palam ſe ſe de ſupradictis accuſauerit,prælatus ſi ſibi videbitur expedire,poterit cum eo diſpenſare.Si autem à circatore, vel ab alio fratre accuſetur,& conuincatur,pro prima vice panem & aquam in terra comedat:pro ſecunda vero pœna grauis culpæ puniatur.

CAP. XI. DE RECIPIENdis & Magiſtro nouitiorum ac inſtructione eorum.

NVLLVS IN FRATREM clericum huius ordinis recipiatur,quin ad minus quindecim annos ætatis ſuæ expletos habuerit,& prius de genere,moribus & ſcientia examinetur,& ei ordinis auſteritates proponantur. Examinatio hæc,per tres idoneos fratres electos in quolibet cõuentu,de cõmuni cõſilio capituli vel à patribus à conſilijs fiat,quam Miniſtro & capitulo

referant, & ex eorum relatione, cognita eius sufficientia, de consensu maioris partis capituli, si dignus iudicetur, admittatur. Nullus pro fratre clerico recipiatur nisi grãmaticam competenter sciat, & requisitus an coniugatus, an seruus sit, an alterius professionis, an ratiociniјs obligatus, vel an occultam aut contagiosam habeat infirmitatem.

N V L L V S præterea Minister audeat aliquem neophitum, quem declaramus esse nouiter ad fidem conuersum, vel descendentem à patre, vel auo ad fidem conuersis ad habitum recipere, nec suspectum in fide, neq; eum, cuius per lineam rectam prædecessores incarcerati & puniti fuerint per sanctum inquisitionis officium.

I N H I B E M V S etiam omnibus & singulis ministris, ne viros mõstruosos, aut mente captos, aut homicidas recipiant, cum ex eorum receptione nostro ordini dedecus subsequatur. Quod si contrariũ aliquid omnium horum quæ in hoc capite dicta sunt fecerint, ab officijs deponantur, & pœnis grauis culpæ subiaceant.

Q V I igitur de communi omnium consensu recipiendus fuerit, probabili in eo inuenta perseuerantia ad capitulum vocetur, & minister ei dicat, frater age gratias, quod reciperis ad tan sanctum habitum, & ad istam sanctam congregationem, vt Deus sic det tibi omnia ad implere, quatenus ad vitam æternam peruenire possis. Et respondeat qui conuerti vult, Amen. Et minister iubeat illum cõfiteri. & communicare, & post cõmunionem (vt mos est) radatur: & sic ad capitulum veniat, vbi fratribus omnibus in capitulo congregatis & stãtibus, & Ministro super pellicio

pellicio & stola induto, recipiendus corã eo genua flectat. Caueat vero minister ne habitum aut scapularium nouitio induendum vsq; ad diem professionis benedicat. Sic enim de regu. Et trans. C. statuimus cantum est pro religionibus, vbi habitus nouitiorum ad habitu professorum non distinguitur, vt saltem sic distinguatur. Ad tollendum autem secularem habitum à recipiendo minister dicat, Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. Amen. Deinde ad scapularium induendum dicat. Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus es in iustitia & sanctitate veritatis. In nomine patris. &c. Kyrie eleyson. Christe eley. Kyrie. Pater noster. Et cætera omnia dicat prout breuiarium docet. Quando hæc dicuntur, prostretur nouitius, quibus dictis surgat, & manus Ministri humiliter de osculetur, qui eum magistro nouitiorum tradat.

EXCEPTO victu & vestitu ante professionem, quocũq; prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus, nihil monasterium de nouitij bonis suscipiat, ne hac occasione discedere nequeat, vel si discesserit, non nisi difficulter recuperare possit. Nullus in fratrem laicum recipiatur, quin adminus viginti annos ætatis suæ habuerit. Nec receptus & professus fiat clericus nisi de speciali ministri generalis licencia. Cætera omnia, quæ in regula erga nouitios disponuntur, inuiolabiliter obseruari volumus.

AT vero quoniam plurimum conducit, vt facilius ac maturius, vbi collapsa est, vetus & regularis disciplina instauretur, & constantius vbi conseruata est perseueret,

 qualiter

qualiter & quomodo instituendi & educandi sint nouitij, nam hæ sunt religionum seminaria: districtè præcipimus & prohibemus, ne nouitij recipiantur nisi in conuentibus, vbi sunt multi fratres, & vbi sit domus peculiaris à cõuentu distincta intra quã contineatur. Quod si aliqui in alijs cõuentibus habitum petierint, ex quorum receptione & honor & vtilitas illis accreuerit, de consensu Ministri & Capituli ad habitum recipiantur. Et ad alios magnos conuentus statim mittantur, in quibus profitebuntur, pro conuentibus tamen in quibus receperunt habitum. Ad quos etiam pertinebunt quæ iure hæreditario professis illis obuenerint.

Clementi. de statu Monachorũ. §. sane &. §. ad ampliationem.

MINISTER de consilio patrum, nouitijs magistrum præponat, in religione diu educatum, & cæremonias ordinis calentem, cuius integritas vitæ nota sit, & nouitijs cædat in exemplum: qui eosdem in officio, in moribus, in cantu, in regula & constitutionibus & cæremonijs religionis studeat erudire: frequẽter pure & discrete eos confiteri doceat: humilitatẽ cordis & corporis habere, iuxta illud saluatoris monitũ, discitè à me quia mitis sum et humilis corde: sine proprio viuere, obediẽtiã in omnibus voluntariã obseruare, decalogũ & omnẽ doctrinã Christianã integre scire, ac quomodo se in omnibus habere debeant instruere. Nouitij Capitulo nõ intersint, sed magister in domo nouitiatus eorũ culpas audiat, & charitatiue corripiat, eisq; signãter præcipiat, vt cũ nullo præsumere cõtendãt, & in omnibus sibi obediant, neminemq; penitus iudicent: sed si aliqua ab vllo fieri videãt (licet mala videãtur) bona suspicẽtur, vel bona intẽtione facta (sæpe enim humanũ fallitur

tur iudicium) & quod non loquantur de absentibus nisi quæ bona sunt. Diligēter libros, & vestes, & res alias monasterij custodiant, locis etiam et tēporibus interdictis silentium obseruent, & vbiq; submissa voce loquantur, oculos in terrā demissos habeant, & quomodo si à prælato reprehensi fuerint, veniam petant. Deniq; eos doceat quomodo, & quid orent & quam silenter vt alios non impediāt.

N O V I T I I & professi etiā in ordinibus Subdiachonatus & Diaconatus ordinati, omnino sub cura magistri & in domo nouitiorum stent & habitent vsq; ad sacerdotium. Laici etiam stent sub cura magistri eo tempore quo reuerendo Prouinciali visum fuerit. Quos doceat magister quæ eorum sunt muneris, & cogat vt in diebus festiuis in choro aßistant, & alia quæ nesceßaria sunt, iuxta constitutiones & eorum status non intermittant. Nouitij etiā extra conuentus non mittantur, nec officio distrahēte occupentur. Nouitios quoq; recedentes sine licencia, cū habitu à conuentu, nisi infra octo dies ad eundē redierint, pro refutatis ab ordine habemus. Et si ad aliū cōuentū declinauerint, & fuerint in illo acceptati pro nouitijs, volumus annum probationis inchoari ab illo die, quo in ipso altero conuentu fuerint acceptati.

CAP. XII. DE PROFItendis & profeßione & de seßione fratrum.

P*ROFESSIONEM ante decimū sextū annū ætatis expletū minimè fieri permittimus, nec qui minori*

tempore, quam per annum integrum, post susceptionem habitus in approbatione extiterit, ad professionem admitti.
Sess. 25. c. 15. *Irritam nanq; & nullam Sancta Tridentina Synodus professionem ante factam decernit. Iccirco statuimus, si alicui ante quintum decimum annum, vel intra ipsum, habitus religionis fuerit datus, professionis terminus usq; ad sextum decimum completum minime elabatur: & tunc & non antea professio tacita incurratur, nisi à religione vel ab ipso contradictum fuerit.*

N V L L V S ad professionem ut clericus recipiatur, nisi sciat plenè & expedite dicere, & legere diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum solus, & sciat grammaticam competenter, & de regula & constitutionibus quas obseruare debeat rationem reddat. Et per duos menses ante finem probationis tres prædicti examinatores teneantur eum examinare de his, & Ministro & capitulo referre. Et si multum in his deficiens inuenitur (si videbitur) vocetur ad Capitulum nouitius & ibidem ei assignetur certum tempus probationis longius, vel declaretur ei quod nunquam veniet probationis terminus, nisi iterum in Capitulo vocetur, & pro sufficiēti approbetur. Hoc autem (ex regulæ præceptione) arbitrio Ministri relinquitur, & ideo ipsemet an prolixior approbatio, an expulsio iuxta examinatorum relationem sit agenda, videat: tametsi si ad professionem admittendus sit, de maioris partis Capituli cōsensu fiat. Et tunc huiusmodi nouitius ante professionis prolationem confiteatur.

P O S T Q V A M de moribus nouitij & alijs fuerit consul

consultum, & omnibus vel maiori vocalium parti visum fuerit admitti, ad capitulum vocetur, & ante Ministri pedes prostratus toto corpore extensus, se prosternat. Et de negligentijs in anno suæ approbationis commissis veniam petat. Tunc vero minister eum interrogabit dicens. Quæ nam petitio tua frater? Respondebit ita iacens. Dei misericordiam & vestram societatem requiro. Minister dicet. Dominus det tibi societatem electorum suorum. Conuentus respondeat. Amen. Erigensq; se nouitius in eodem loco genibus flexis persistat coram Ministro. Tunc Minister expressè protestetur eidem, quod professio sua eundem obligabit ad tria vota paupertatis, scilicet, castitatis & obedientiæ (secundum regulam & institutiones fratrum ordinis Sanctissimæ Trinitatis) & exponat illi ordinis austeritates, & labores, & obedientiam nimis strictam, & quod ad regulæ & Constitutiones, quas profiteri debet, præscriptum, vita instituenda est, & mores cōponendi. Quādq; seuere negligentes & rebelles puniantur: interrogetq; si ea omnia pro salute sua ferre paratus sit, & admoneat vt se consulat, & coram omnibus voluntatem suam aperiat. Tunc illo in petitione sua persistente, & voluntariam obedientiam ad omnia promittente, iterum Minister dicet. Dominus Deus sic tibi omnia concedat, vt ad vitam æternam peruenire possis. Conuentus respondeat. Amen. Mox nouitiorum magister paratam habeat regulam et constitutiones & panem & aquam, quæ simul accipiens Minister fratri offerat, inquiens. Accipe sacri ordinis regulam Apostolica autoritate concessam, nec non sanctas ordinis constitutiones, secundum quas viuere tenearis, atq; in

continuæ

continuæ pœnitentiæ signum panẽ & aquam do, quibus vitam & leuare, & transilire poßis. Societatemq; fraternitatis nostræ tibi concedo, vt deinceps participationem tam spiritualium, quam corporalium nobiscum habeas.

DE OMNIBVS ibi agendis nouitius instructus sit, & professionem propria manu scriptam habeat. Magister vero nouitiorum eum ad gradus altaris ducat, si iuxta qualitatem personæ publicè fiat, vel ad chorum. Minister & fratres omnes simul adesse debent. Minister autẽ qui nouitium benedicere habet, superpelliceo & stolla sit indutus, & cappa, si publicè benedicat: & reliquiæ Sanctorum super altare ponantur. Deinde nouitius, siue nouitij, si plures fuerint, vultibus ad altare versis, vnusquisq; per se, & stans alta voce, coram omnibus legat suam professionem (prout moris est) dicens. Ego frater. N. Qua perlecta dicat ter, suscipe me domine. &c. Prima vice submissa voce cantet, secunda, altiori voce, tertia vero altius quam antea: & qualibet vice sicut eleuat vocem, ita vnum ascendat gradum, & prælato professionem offerat.

OBLATA igitur professione prælato nouitius coram ipso Ministro genua flectat, & minister ibi scapularium cum caputio paratum habeat, & benedicat dicens, Adiutorium nostrũ. &c. Sit nomẽ domini benedictũ. &c. Dñe exaudi. &c. Dñus vobiscũ, oremus. Dñe Iesu Christe qui tegimẽ nostræ mortalitatis. &c. Per Christũ. &c. Tũc scapulariũ nouitiorũ exuẽs dicat. Exuat te Dñus veterem hominẽ, & scapulariũ benedictũ induẽs inquiet. Induat te Dominus nouũ hominẽ. His tamẽ per actis, profitẽs versus

altare

altare, super terram extensus prostretur, & minister incipiat antiphonã, Suscepimus Deus. &c. Similiterq́; conuentus dicat ac prosequatur. Dicanturq́; per ordinem Psalmi. Magnus dominus. &c. Miserere mei Deus. &c. Ecce quã bonum. &c. Singulos cum Gloria patri finiendo. Deinde repetatur Antiphona. Suscepimus. &c. Kyrie. Christe, Kyrie. Et preces & orationes consuetas dicant (quibus finitis) cantor incipiat hymnum, veni creator, quo dicto ceroferarij dicant versum, Emitte spiritũ tuũ, & creabuntur. &c Minister vero orationem, Deus qui corda. &c. Domine Iesu Christe, quies via sine qua. &c. Prout sunt in fine breuiarij. Finitis deniq́; orationibus, surgat professus, & primo osculabitur ministri manus, secundo vicarij, tertio & vltimo omnes vsq́; ad minimum reuerenter amplexabitur.

VERVMTAMEN si frater laicus est qui profitetur, materna lingua profiteatur flexisq́; genibus coram Ministro. Minister autem manus eius simul amplectatur suis manibus, cui vt quæ profitetur intelligat, dicet. Frater reddis te Deo ad seruiendum ei in societate & obediẽtia congregationis huius, & ad tenendum vitam canonicam secũdum regulam nostram, consuetudines & constitutiones huius ordinis quæ iam in præsenti institutæ sunt, vel Deo annuente instituentur? Respondet, Reddo. Iterum Minister promittis obedientiam, paupertatem & castitatẽ Deo mihi & huic sanctæ congregationi, & perseuerantiam stabilitatis tuæ vsq́; in finem secundum gratiam tibi à Deo collatam & possibilitatem virium tuarum? Respo. Promitto. Tunc minister dicet. Dominus Deus det tibi opere perficere, quod voto inchoare consensit. Et professio scribatur in eâdem

eâdem lingua dicēs. Ego frater. N. laicus, stabilitatē. &c. Quam si legere sciat publice alta voce proferat, & similiter dicet ter suscipe me domine. &c. Tunc Minister habitum professorum (scilicet) scapularium benedictum vt prædictum est ei concedat. Et conuentus Antiphonam. Psalmos, & orationes consuetas cantet. In quolibet conuentu habeatur liber particularis, in quo scribantur omnes qui ibi faciunt professionem, notando annum, mensem, & diem & nomen prælati recipientis ad professionem, & sub quo generali Ministro.

C V M æquitas rationis postulet, prout certauit, vnumquemq́; coronari, ideo præsenti statuto, mandamus sessiones & fratrum antiquitates tam in capitulis, quam congregationibus à die professionis enumerari, & licet aliquis sacrorum ordinum causa, antiquiorem se professione tunc superauerit, illum tamen sacros ordines assequentem, tum sessionem, tum etiam antiquitatem primam obtinere præcipimus. In sacra Theologia graduati, & de liccncia ordinis admissi, à tēpore admissionis gradus, super omnes alios fratres sessionem & antiquitatem obtineant. Quod autem intelligimus dummodo in ordine continuo steterint, & vixerint: nam alias omne tempus quod extra ordinis obedientiam degerunt, seorsum dematur, & illius tēporis solum quo in ordinis obedientia permanserunt, ratio habeatur. Et licet in alijs habilitetur, & cum illo dispensetur, circa hoc tamen, nec habilitari, nec dispensari posse decernimus. Et quicquid contra hoc statutum attentatum siue pro tempore actum fuerit, totum sit irritum & inane.

CAP. XIII. DE FVGITIuis, Translatis, & Apostatis, De conspiratoribus, & furibus.

SACRO Tridentini Concilij decreto inhærentes, ordinamus & præcipimus, ne aliquis ordinis nostri Religiosus, etiã prætextu ad superiorem accedẽdi, à suo conuentu recedat, nisi ab eodem missus aut vocatus fuerit mandato in scriptis obtento. Quod si aliter quis in ordinis habitu fugitiuus reperiatur, prostratus virgis ad arbitrium ministri emẽdetur, ac per quindecim dies adminus in carcere includatur, & pœna grauis culpæ puniatur, & per annum integrum irremissibiliter voce actiua & passiua careat, & si sacerdos fuerit vltimus sacerdotum sit, si vero professus tãtum vltimus professorum sit. Quod si bis fugitiuus steterit, omnia prædicta duplicetur. Si tamen ad aliam ordinis prouinciã fugerit ibiq; duobus mensibus commoratus fuerit, si reuersus ad propriam prouinciã fuerit, non admittatur sine licẽcia Prouincialis. Quod si admitti contigerit, vltra prædictas pœnas etiam duobus annis voce actiua & passiua careat præcisse. Sef. 25. c. 4.

MINISTRI quorũ domibus fratres fugitiui diuerterint, vel postmodũ assignati fuerint sub pœna suspẽsionis ab officijs prædictas pœnas tradant executioni: si vero secũdo in hoc negligentes inuenti fuerint, ab officijs absoluantur. Fratres huiusmodi fugitiui in habitu ordinis, postquam in conuentu, quo diuertère, pœnam carceris et grauis culpæ

ad impleuerint, ad Prouincialem remittantur cum literis testimonialibus pœnitentiæ ad impletæ, vt eos reliquis pœnis puniat, & de conuentibus prouideat. Declaramus tamẽ hos fratres fugitiuos habitu ordinis retẽto nullam propter hoc incurrisse excomunicationem.

FRATER autem professus qui ad alium se transtulit ordinem, si postea reuersus fuerit, non recipiatur sine licencia prouincialis, & receptus vt nouitius habeatur, & voce actiua & passiua sit priuatus nisi per capitulum Prouinciale cum eo dispensetur. Quæ quidem dispensatio & habilitatio cum vere translato ante triennium expletum minimè fiat. Ita tamen quod anni quibus extra ordinis obedientiam degit quo ad locum ei nõ cõputentur. Sed illis omnibus sit inferior qui per plures annos in habitu ordinis permanserunt, nec ante decem annos ad vllam ordinis dignitatem promoueri possit.

Ex iure. m. 6. ne. clerici vel monachi. c vt periculosa.

QVI autem instigante diabolo (quod absit) vestes ordinis dimiserit, talis apostata sit ipso facto excomunicatus qualem sententiam ex nunc præsenti statuto ferimus. Et talis per ministrum, in cuius administratione diuerterit, in dilate capiatur, & absoluatur, & nudus cum virgis in capitulo veniat, & prostratus culpam suam dicat, ac humiliter veniam petat: & quamdiu prælato placuerit, pœnæ grauioris culpæ subiacebit incarceratus, & singulis hebdomadis nudus se capitulo præsentabit, infra hoc pœnitentiæ tempus in cõuentu, & vbiq; nouissimus erit, & duobus diebus cuiuslibet septimanæ per annum in pane & aqua ieiunabit, qua peractapœnitẽtia, ad Priorem locum non dum redeat, nisi per maiorẽ Ministrũ ordinis vel per diffinitores

capitu

Capituli generalis, seu Prouincialis cum eo fuerit dispensatum. Quæ dispensatio ante triennium non fiat. Ita tamen quod anni quibus in apostasia fuit, ei non computentur quoad locum & antiquitatem. Atq; vltra hæc, octo annis voce paßiua careat, ita vt Minister neq; Vicarius fieri poßit.

QVAM sit damnabile conspiratores & coniuratores conniuentibus permittere, & experiẽtia docet, & sacri Canones demonstrant: ideoq; statuimus, quod si huiusmodi conspiratores aut coniuratores, in nostro ordine inueniantur, antequam res finem sortiatur, quem intendunt, de cætero voce capituli careant, nec ad testimoniũ veritatis perhibendum admittantur. Si vero res effectum intentum consequatur, carceribus arctius includantur, & prout in Capitulo grauioris culpæ latius in conspiratores disponitur puniantur. Conspiratores autem & coniuratores appellamus, qui se se confœderant ad subuersionem ordinis aut statutorum salubriter æditorum, vel ad sui prælati persecutionẽ, vel alicuius fratris ex odio, aut ambitione, seu alios defendere moliantur. Item per præsentes maledicimus & anatematizamus conspiratores fratres & secreta ordinis vel capituli laicis communicantes, & reuelantes, ac cum ipsis pertractantes, quos nunc perpetuo priuamus. Etiam maledicimus & anathematizomus, fratres blasphematores, si qui sunt (quod Deus auertat) & præcipimus quod pœna quinquaginta dierum carceris puniantur. 11. q. 1. c. cõiuratio nũ, & c. cõspiratio num, & c. si qui clerici, & c. si clerici, et. c. si qui clericorũ et. c. si qui sacerdotũ & c. statuimus.

STATVIMVS prætereа & districte mandamus, quod si aliquis nostri ordinis frater furtum cõmiserit, & conuictus, vel confessus fuerit, in arctiorem

Cc carcerem

carcerem iuxta delicti qualitatem in pane & aqua recludatur. Insuper per triennium voce capituli careat & locum nouitiorum teneat. Si vero Minister furtum commiserit, administratione priuetur, & infamis maneat, ac per duo prouincialia capitula, inhabilis reddatur ad quodcũq; officium electionis obtinendum, & pœna grauioris culpæ siue prælatus siue subditus sit, subiaceat, quousq; per maiorem ministrum ordinis, vel capitulum generale seu prouinciale cum eo fuerit dispensatum.

Primæ Distinctionis.
finis.

DISTINCTIO SECVNDA.

CAP. I. DE DOMIBVS construendis & instituendis, ac earum Procuratore, & de aliis.

CVM exigat rationis æquitas, quæ cõitatis sunt matura deliberatione procurari, exequi & ministrari, ideo districte prohibemus Prouinciali ministro, & diffinitoribus capitulorum Prouincialium, ne vllo pacto locum aliquem pro noua domo ædificãda, vel trãsferẽda recipiãt, nisi eis prius constiterit locũ idoneum esse conuentui ædificando, per fratres idoneos ad id inquirendum destinatos. Si secus vero actum fuerit, talis acceptio ipso facto sit irrita & inanis.

Medio

MEDIOCRES domus & humiles fratres nostri ordinis habeant, nec fiant, nec fieri permittātur curiositates, & superfluitates notabiles in sculpturis, pauimentis, & alijs similibus, paupertatem nostrā deformantibus, sed potius sint plani operis (vt in regula cauetur) quas in arte peritorum consilio maturo fieri volumus (considerato loco illo in ligno, vel alia materia) totius domus construendæ formula, quam non liceat transgredi pro voluntate variæ præsidentium, sed iuxta illam ædificetur: teneaturq; minister subsequens opus inceptum prosequi, nec vllam constructionem, aut ædificationem nouam, vltra quindecim, aut viginti ducatos aureos, nisi de consilio discretorum, & licencia Ministri Prouincialis in scriptis adepta incipere posse mandamus. Oppositum autem facere præsumens ab officio in pœnam absoluatur, sic quod nec ibi nec alicubi per triennium præsit.

DOMVS quæ duodenarium vel denarium numerum fratrū non habuerint cū Ministro & Lectore, seu prædicatore, quorumquinq; vel sex pro electione canonica vocales sint, huiusmodi domus, vt non conuentuales habeātur, & ab eis titulū ministratus subtrahimus, & per Vicarium triēnalem, per ministrum prouincialem, electum & confirmatum regantur. Nec talis vicarius in electione Prouincialis & correctorum actiuam vocem habeat, nisi alias fuerit graduatus, & à Prouincia admissus. Cum vero ad eundem prædictum peruenerint numerum quem commode alere possint, per maiorem Ministrum, vel capitulum generale, seu Prouinciale pro conuentualibus admittantur, & titulus Ministratus & electio canonica eis concedatur.

Sed domus quæcunq; prædictũ numerũ denarium, vel duo denarium fratrum cum Ministro & prædicatore, & senarium, seu quinarium numernm vocalium, pro canonica electione nunc habentes, conuentuales sint, & titulum ministratus & canonicam electionem nunc & in perpetuum habeant, potiantur & gaudeant. Si vero prædictus numerus denarius minuatur, minister Prouincialis & Ministri conuentuales operam dent efficacem vt numerus ille reparetur. Procuratorem vero pro electione Prouincialis & Correctorum vel pro capitulo Prouinciali, nec domus quæ denario fratrum carent, aut quinario vocalium, pro tunc minime eligant, nec mittant, quod si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane.

V O L V M V S præterea, & statuimus, quod domus conuentuales prædictum numerum fratrum & vocalium integrum habentes, ad capitulum prouinciale nomine conuentus procuratorem habentem vocem actiuam pro electione Prouincialis & diffinitorum mittant. Et ille procurator sit qui per plures voces, seu vota secreta schedularum fratrum vocalium electionis canonicæ vniuscuiusq; conuentus electus, & ex antiquioribus vel religiosioribus assumptus sit. Et ad capitulum decretum seu testimonium suæ electionis, ac plenariæ facultatis à conuentu sibi datæ & concessæ, ab scrutatoribus subscriptum ferat. Qui vnius domus electus fuit procurator, pro Capitulo immediate sequenti, in eâdem domo prohibemus ne eligi poßit. Inhibemus vero cuilibet Ministro ne vllo modo electioni huiusmodi directè nec indirectè se intromittat. Hæc enim electio ad Vicarium & alios vocales expectat, scrutatores huius

electio

electionis sint duo patres antiquiores cum Vicario. Minister contrarium faciens ab officio deponatur. Statuimus etiam vt præfatus procurator à Ministro Prouinciali & diffinitoribus capituli de regimine monasterij audiatur, an bene vel male regatur vel alio capite indigeat, pro vtrâq; parte (vt æquum est) viam iustitiæ exequẽdo, omni timore acceptione, amicitia, odio, & cæteris similibus sublatis. Numerum nominatim omnium fratrum sui conuentus ad capitulum prouinciale procurator ferat, & an domus sine debitis sit. Minister enim qui nisi iustis de causis & de consilio discretorum domum cum debitis, seu pignoratam dimiserit, ab omni officio ordinis per tres annos præcisse sit priuatus.

STATVIMVS præterea quod in vnaquaq; domo sint tres vel quattuor patres à cõsilijs iuxta domus qualitatem. Quos Minister & etiã Prouincialis in grauibus cõsulere teneantur. Nec ad pœnam grauioris culpæ alicui infligendam, sine eorum consilio procedere posse decernimus. Quod si aliter fiat, pœnitentia nulla sit, nec ad eam patiens teneatur. Nec in præmissis aliud consiliarijs concedimus, nisi quod secundum Deum, & conscientiæ dictamen, iuxta seriem istarum constitutionum & regulæ directum consulant. Quod si Minister salubre eorum consilium non receperit, per Ministrum Prouincialem, vel visitatores (iuxta qualitatem delicti) corrigatur. Patres à consilijs decernimus esse ministrum conuentus & vicarium & fratres: qui Ministri in aliquo conuentu fuerunt & graduatos, & etiam eos qui adminus quinquagesimum ætatis suæ annum expleuerint. Si vero Ministro nõnunquam expedire vi-

debitur, vltra prædictos tres, vel quattuor patres à consilijs, nonnullos alios etiam discretos & antiquiores ad consilium vocare poterit, dummodo numerus omnium consiliãdorum senarium numerum non excædat.

MVLIERES claustrum, vel oratorium, vel alias officinas nostras nunquã ingrediantur, exceptis diebus solennibus processionis. Nam tunc solum primum claustrum ingredi poterunt. Qui vero contrarium huius fecerit si fuerit Minister irremißibiliter absoluatur, sine vero subditus, pœna grauioris culpæ puniatur.

ORDINAMVS & districte præcipimus, quod in quolibet conuentu, vbi non viget studiũ Theologiæ, lectio casuum conscientiæ quotidie habeatur. Cui omnes conuentuales non graduati interesse debẽt. Circa quod Ministri prouincialis & conuentualis ac visitatorum conscientiam oneramus.

CAP. II. DE ELECTIONE Prælatorum & alijs ad hoc expectantibus.

Conciliũ. Trid Ses. 25.c. 6.

De electi. c.Ecclesia

CVPIENTES IVXTA canonicas sanctiones, ac regularia statuta prælatorum electiones omnino dirigi, matura intimaq; consideratione, infra scripta stabilientes: ordinamus ac statuimus, primum omnium præcipientes Ministros conuentuales à suis conuentibus secũdum canonicam formam eligi (videlicet) à maiori

à maiori parte vltra medietatem omnium eligentium, per scrutinium, quod similiter in electione Ministri Prouincialis obseruetur. Electio vero ad illos tantum pertineat electores qui personaliter in electione extiterint, omnibus fratribus ad conuentum illum vbi faciēda est electio pertinentibus vocatis, si infra vnam dietam ad eos possit nuncius peruenire.

PER quattuor menses ante quancūq; electionem faciendam nouas assignationes seu mutationes non faciant Prouinciales seu eorum Vicarij (ad quos tantum pertinet assignare vel mutare) in conuentibus vel ad conuētus vbi electiones huiusmodi fuerint celebrandæ: nisi pro officio administrationis, vel pro graui scandalo vitando mittantur. Quod si cōtrarium factum fuerit, huiusmodi assignationes seu mutationes, quo ad priuationem vocis cōuentus, de quo fiunt ipsæ mutationes, & quoad ipsam vocem in conuentu vbi fiunt, suum non sortiantur effectum. Ministri Prouinciales seu eorum Vicarij, oppositum facientes, si de hoc cōstiterit, omni officio ordinis per tres annos priuentur.

FRATRES autem post quattuor annos à professione sua (dummodo sint in sacris constituti) ad electionem Ministri conuentualis admittantur. Infra vero idem tempus in procuratorē conuentus, vel in electorem Ministri Prouincialis etiam si magister fuerit, vel in Ministrum nullo modo eligatur.

FRATRES alienæ Prouinciæ filij in hac Prouincia de consensu suorū Prouincialiū recepti, postquam in ea per annum continuum cōmorati fuerint, ad electiones quascunq; sicut alij admittātur. Qui vero fugitiui venerint, vel

non recipiantur, vel si recepti fuerint etiam de consensu sui prouincialis, voce actiua & passiua careāt, nisi per prouincialem cum diffinitoribus capituli Prouincialis habilitati fuerint, quæ habilitatio ante quattuor annos non fiat, facta tamen prædicto tempore lapso sit in scriptis.

IN electione per scrutinium facta præcipimus vniuersis fratribus nostris, vt infra scripta forma deinceps seruetur: et si secus facta fuerit, irrita sit electio & inanis. Singuli electores in schedula scribāt, vel scribi faciant nomen electi, eligentis autem nomen nunquam scribatur, nec scrutatoribus, nec confirmatori electionis vnquam reueletur. Quas schedulas inuolutas ab electoribus, coram tribus scrutatoribus ad mensam sedentibus, in venam aut capsulam demittant, nihil aliud scrutatoribus aspicientibus, nisi quod vna tantum ab vno exhibeatur. Postquam omnes acceperint, in commune effundant, & legant, & facta collatione numeri ad numerum, cum inuenerint quod aliquis extra collegium & numerum eligentium existens fuerit electus à maiore parte vltra medietatem omnium eligentium, eius electio rata & legitima habeatur, si vero de numero ipsorum eligentium aliquis electus fuerit, vt electio illius rata & legitima habeatur, duo vota vltra medietatem ad esse oportet, ne fraudi locus adsit, & ne possit aliquis seipsum eligere. Habito schedularum numero, & collatione facta numeri ad numerum, schedulæ omnes in conspectu præsentium electorum exurantur, deinde in medium capituli venientes scrutatores, nomina publicē eorum qui fuerint electi, exprimentes numerum votorū quem vnusquisq; habuit. Quod etiam faciendū est, licet nullus fuerit à maiori

iori parte vltra medietatem electus, vt ad secundum scrutinium possint dirigi electores. Cum autem exierit electus, decretum electionis formetur ab eo qui inter scrutatores primus fuit, quamuis electo votum suum non contulerit, per hæc verba. Ego frater talis vice præsentium electorum eligo fratrem talem in Ministrũ talis conuentus, vel in Ministrum Prouincialem talis Prouinciæ (si Prouincialis eligatur) si vero non omnes consenserint dicat. Ego frater talis pro me, & his qui mecum consenserunt eligo talem in Ministrum talis conuentus. Quod similiter in electione Ministri prouincialis obseruandum est. Si autem primus scrutator electus fuerit, secundus scrutator in publicando scrutinio & formando decreto succedat. Et ea solum quæ in capitulo publicantur, in decreto electionis ad confirmatorem mittendo scribenda sunt. Quod decretum subscriptis nominibus scrutatorum, clausum & sigillo munitum ad confirmatorem transmittatur. Quem sic electum, si dignum inuenerit confirmare non differat, nisi iusta subsit causa. Electus & non confirmatus ad nullum iudicem extra ordinem recurrat, etiam prætextu grauaminis sibi facti, quod si oppositum fecerit, ad omnem administrationem ordinis in habilem reddimus, quousq; per capitulum Prouinciale, fuerit dispensatum cum eo, quæ dispensatio ante tres annos non fiat.

O R D I N A M V S vt deinceps scrutatores cuiuscunq; electionis faciendæ Ministri conuentualis sit Vicarius eiusdem conuentus, & duo fratres qui primitus expressam professionem in ordine fecerunt (si tamen post professionem ab ordine nullatenus discesserũt) nisi per

maiorem Ministrum ordinis vel Generale, vel prouinciale capitulum cum eis fuerit dispensatum. Ab his iuramẽtum minimè exigatur, nec ipsa ab eligentibus requirant super electionem dignioris: cum ex natura rei, tam scrutatores vi officij, quam electores teneantur suffragium præstare, cui conscientia dictauerit.

NVLLVS Vicarius seu præses ad conuentum in quo instat electio mittatur, nisi in casu magnæ dissensionis, vel quando conuentus est adeo destitutus, quod nullus sit qui possit electionem dirigere. Nihilominus sic missus voce passiua in electione careat, irritum decernentes quic quid secus factum fuerit. Neq; etiam ante electiones quascũq; mittatur is quem superior in tali conuentu cupit, vt eligatur cum cunctorum eligentium penè sit vna vox ad hoc mitti vt eligatur. Declaramus Ministros cum finierint officia sua non habere vocem actiuam in electione Ministri futuri, nisi fuerint filij natiui illius conuentus. Declaramus etiam Ministros cum finierint officia sua, esse assignatos ad proprias domus, quorum sunt filij originales.

CVM (experientia teste) Ministri immatura ætas non modo non ædificet, verum etiam noceat, cum se regere nesciens cæterorum caput præficiatur quod in magnam perniciem Conuentus sibi commissi vergit: statuimus quod nullus post hac in Ministrum eligatur, nec administrationis officium à quouis superiore cõmittatur, ante suæ ætatis trigesimum quartum annum. Quod si oppositum factum fuerit, tam electio quam commissio irrita sit & inanis.

Nullus

NVLLVS qui fuerit apoſtata, vel conuictus de peccato carnis, ſiue furti, aut notabilis propritatis poßit eligi in Miniſtrum, ſeu vicarium cuiuſuis conuentus: niſi poſtmodum ita religioſe conuerſatus fuerit, quod per diffini tores Capituli generalis vel Prouincialis fuerit habilitatus, vt eligi poßit, quæ habilitatio ante ſex annos adminus non fiat.

PRAETEREA ad tollendas circulares electiones quibus mutuo ſe Miniſtros facere poſſunt, nullus in domo qua miniſter fuit, valeat ad eandem eiuſdem conuentus adminiſtrationem eligi ante quattuor annos expletos, à die concluſionis ſui officij, quod ſi ſecus factum fuerit, electio ſit nullius momenti & inanis. Caueat Reuerendus pater Prouincialis ne eligentes impediat, vt infra menſem à vacatura officij adminiſtrationis eligant, ſed liberos eos ad electionem faciendam dimittat, quod ſi infra menſem non elegerint, prouideat conuentui de Miniſtro, qui in dicto conuentu competenter ſciat proponere verbum Dei fratribus ſuis.

NVLLVS confirmetur in Miniſtrum, niſi ſit perſona idonea, honeſta, zelo religionis ornata, quæ ſciat quæ conueniunt loco & dignitati & officio in quo habet præſidere, ſciatq; grammatice loqui, & ſit ita inſtructus in moralibus, quod in Capitulo ſui Conuentus poßit proponere competenter verbum Dei ſuis fratribus, & poßit ſequi Chorum, Dormitorium, Refectorium prout decet.

ADMONEMVS etiam vt fratres caueant in quacunque electione facienda, minis, muneribus, promiſ- De ſtatu monacho. c. cum ad monaſterium.

promißionibus, per se, vel per alios inducere electorem quẽcunq;. Quod si iuridice probetur de aliquo id cõmisisse, tam inductum, quam inducentem seu subornantem à tali electione exclusos esse decernimus.

N V L L V S minister vltra tres annos sui officij tempus extendere poßit, sed triennio exacto, illico spiret, & absq; declaratione siue renuntiatione sit absolutus nec in eodem conuentu reeligatur sed solus Vicarius conuentus pro tunc præsideat quousq; sit alius Minister electus & confirmatus. In qua ordinatione nec maior Minister ordinis nec Prouincialis vllo modo dispensare poßit. Et si contra hoc decretum aliquid attentatum fuerit, totum sit irritum & inane. Quod si aliquis Minister repertus fuerit, administrationem per litteras apostolicas perpetuare, vel alias quascunq; ,ipso facto sit officio priuatus, & pœna grauioris culpæ puniatur.

O F F I C I V M administrationis non à tempore factæ confirmationis currat, sed acceptationis officij, & in calce ipsiusmet confirmationis dies & hora acceptationis notetur. In die electionis cuiuscunq; Ministri ante quam ad eam procedant, omnes fratres conuentus & confiteantur, & communicent. Electus vero Minister siue à maiori siue à minori conuentu, & confirmatus si non acceptauerit, in nullius domus Prouinciæ per tres annos in Ministrum confirmetur. Discant fratres tam minori quam maiori administrationi ceruicem submittere.

I N electione Ministri Prouincialis facienda & diffinitorũ sint tres scrutatores, videlicet, Minister domus vbi celebra

celebratur Capitulum & duo alij Ministri eiusdem capituli antiquiores, antiquitate à die professionis enumerata, si tamen post professionem à nostro ordine nullatenus discesserunt nisi per maiorem ministrum aut per generale vel prouinciale capitulum cum eis fuerit dispensatum, qui quidem scrutatores suum exequantur officiũ vt numero quinto institutum est.

S T A T V I M V S *etiam quod quattuor diffinitores seu correctores capituli Prouincialis sint qui plures voces seu vota secreta schedularum habuerint, atq; vt omnis suspicio & fraus euitetur, quilibet electorũ in schedula simul nomina quattuor eorum, quos dignos pro simili exequẽdo officio iudicat, scribat. Quattuor isti diffinitores sint duo ministri & duo graduati. Et qui correctores vnius Capituli fuerint, in immediate sequenti minime eligi posse mandamus, nec diffinitorum autoritas extra tempus ipsius met existentis capituli extendi seu durare volumus.*

P R Æ D I C T I *diffinitores tractabunt omnia & diffinient cum Prouinciali in illo capitulo noniter electo qui in cunctis negotijs aderit cum diffinitoribus, cuius offi. Et autoritas incipiet ab hora eius electionis & durabit vsq; ad triennium expletum. Qui postquam Sabbato ante quartam dominicam post Pascha (vt moris est) sui officij finierit triennium, pro illo tunc Correctoris non fungatur officio, neq; ad id eligi in eodem Capitulo posse decernimus, neq; iterum in Prouincialem nisi duobus prius transactis triennijs.*

P O S T Q V A M *Prouincialis Minister finierit suum offic. In capitulo & renunciauerit veniamq; petierit*

petierit commissorum, præsidebit minister Hispalensis quo usq; sit electus Prouincialis. Quod si absens fuerit, vel domus Hispalensis Ministro caruerit præsideat minister domus vbi celebratur capitulum.

S T A T V I M V S & *ordinamus vt mortuo vel ammoto Ministro prouinciali ante suum trienniū, minister illius cōuentus in quo est celebrādum capitulū Prouinciale sit vicarius gñeralis prouinciæ, quousq; sit electus prouincialis, qui semper debet eligi dominica in cantate imme diate sequēti. Quod si forte contigerit conuentū illū vbi est celebrandum capitulū carere Ministro, tunc habeat vices Prouincialis mortui vel ammoti: sitq; Vicarius generalis Minister illius cōuētus vbi præcedēs capitulū fuit celebratum. Ordinamus etiam vt in quolibet capitulo Prouinciali aßignetur locus per Prouincialem & diffinitores, in quo sit celebrandum capitulum sequens.*

I T E M *ordinamus & præcipimus prouincialibus sub pœna absolutionis ab officio vt singulis annis per se ipsos teneantur suam Prouinciam visitare & singulos eius conuentus: & vt visitæ rectius per agantur, inhibemus fratrē vllum visitari extra domū suæ aßignationis nec citra ipsius visitæ tempus. Caueantq; prouinciales aut visitatores in huiusmodi visitis ne veritatem inquirant exigendo à fratribus iuramenta, sed quæ via ordinaria est per præcepta & censuras veritatē & negotia conuentus attinentia ad reformationem inquirere debent.*

E T *quia Prouincia non est nimis lata statuimus, vt nullus Prouincialis instituat vicarium Prouincialem nisi cum ipse à Prouincia abscesserit. Non prohibemus quin Vi*

carius

carius generalis succedens loco Prouincialis defuncti aut ammoti ante triennium iuxta dicta in hoc capitulo numero. 19. possit eligi in Prouincialem si dignus habeatur officio.

STATVIMVS etiã quod Minister Prouincialis teneatur confirmare Ministrum canonice electum si non habeat defectum aut sacrorum Canonum aut harum constitutionum. Quod si contra hoc fecerit vel electo aut electoribus in hoc iniuriam irrogauerit, vltra alias pœnas iudicio Correctorum sibi infligendas, sit irremissibiliter, per totum sequens immediatum triennium priuatus voce passiua.

IN alijs præterea erga capituli Prouincialis congregationem & Ministri Prouincialis electionem & diffinitorum officium seruetur constitutio & laudabilis consuetudo. Minister vero Prouincialis primo die capituli duos constituat iudices, qui procuratorum electiones examinẽt & eas quas iuxta seriem constitutionis procuratorum supra nominatæ perfectas inuenerint, approbẽt, cæteras vero cassent, taliter quod procurator indebite electus in Prouincialis & diffinitorum electione vocem non habeat. Prænominati etiam iudices lites & debita inter domos (prout eis commissum fuerit) tempore ipsius capituli recte iudicent.

CAP. III. DE VICARIO Conuentus & eius institutione.

In-

IN QVOLIBET ordinis conuentu habente Ministrum, sit vnus post Ministrum qui Vicarius fratrum seu conuentus appelletur, quē Minister conuentualis de consilio discretorum fratrum sui conuentus instituat, & eodem consilio absoluat si iustæ sint causæ. Et etiam Minister Prouincialis poterit eosdem Vicarios instituere.

OFFICIVM Vicarij est, postquam institutus fuerit quærere diligenter à Ministro & retinere memoriter cuiusmodi potestatem vult eum habere, siue in præsentia, siue in absentia sua, & non vltra se extendere. Item ipsius est conseruare memoriter mandata & ordinationes sui Ministri & Prouincialis siue visitatoris & capitulorum generalium, & prouincialium & dare operam quod à fratribus plenariè compleātur. Item ipsius est, Ministrum fideliter adiuuare, querulosorum, & turbantium alios non se receptorem exhibere, & de his quorum curam ei iniunxit Minister, vt hospitum vel infirmorū & huiusmodi, solicite seruare vel curare. Ad ipsum etiā pertinet pacem Ministri erga conuentum quantum potest procurare. Pro his quoq; quæ vtilia sunt conuentui, siue spiritualia siue temporalia apud ipsum intercedere, & quomodocūq; occurrerit occasio inter Ministrum & conuentum esse fidelem mediatorem. Ipsi enim Ministro debet maiora quando emergunt reseruare, & quæ corrigere non valet, ei denunciare, & de his quæ agenda sunt vel corrigenda frequenter cum eo tractare. Item notabilia quæ emerserint in absentia Ministri, debet eidem cum venerit referre, licet fuerint correcta, & circa ea quæ fuerint facienda ab ipso,

cum fuerit oblitus, vel negligẽs, aut occupatus alijs, ipsum debet solicitare.

VICARIVS nisi de licencia expressa Prouincialis non potest aliquem ad habitum recipere, vel ipsum benedicere seu ad professionem admittere (hoc enim ad Ministros expectat) sed in eodem statu quo Minister dimiserit domum habeat, & gubernet.

OFFICIVM Vicarij vltra triennium nõ extendatur. In conuentu vbi est Vicarius & etiam per annum integrum & immediatum à fine sui officij in Ministrum eligi minime posse decernimus. In choro sinistro supremum obtinebit locum super omnes fratres etiam graduatos nisi fuerint magistri in Theologia aut hospites Ministri aliarum domuum. In capitulo Prouinciali Vicarius conuentus vbi celebratur capitulum habebit sessionem super omnes capitulares (dummodo non fuerint magistri in theologia aut Ministri.) In alijs cõuentibus Vicarius vnius conuẽtus non habebit locum nisi fratrum antiquitatem suæ professionis.

VICARIVS mortuo vel ammoto Ministro vel finiente administrationem, vices eius in omnibus plenarie obtineat, quousq; Minister eiusdem loci fuerit electus & confirmatus, & in domo præsens extiterit, etiam si in eodem intermedio temporis triẽnale concludere officium debuisset. Volumus enim cum ea manere autoritate vsq; ad taxatum tempus. Si vero mortuo Ministro vel finiente officium suum domus vicarium vel præsidentem institutum à Prouinciali non habuerit, tres fratres illius conuentus præsentes & vocem in electionibus habentes qui

primitus professionem fecerunt (si tamen post professionem ab ordine non discesserunt nisi per Prouinciale capitulum cum eis fuerit dispensatum) aliquem fratrem de conuentu illo, præsidentem domus, ante quam comedant & bibant, eligere teneantur, renuntiatione qualibet non obstante. Qui vices supradictas Ministri obtineat, quousq; domus ipsa Ministrum præsentem habeat vel Vicarium. Declaramus non esse nescessarium vt Vicarius conuentus sit cantor. Distinctum enim est officium Vicarij ab officio cantoris.

CAP. IIII. DE GRADVATIS & studentibus, ac de confessoribus & ordinandis.

EXPOSCIT *rationis æquitas vnumquemq; prout certamē gessit, mercedē honoris habere. Ideo perpetuo inuiolabiliq; statuto mandamus quod nulli concedatur præsentaturæ gradus nisi prius in aliqua vniuersitate laudabili, vel in aliquo studio generali per triēnium adminus audierit artes & per quattuor annos Theologiam, & per quattuor etiam annos artes legerit vel casus consciētiæ & aliquos actus Theologicos in prouinciali capitulo vel in aliqua vniuersitate laudabiliter sustentauerit. Nullus etiam magistretur in Theologia nisi sufficiens pro regenda cathedra in aliquo studio generali & vniuersitate iudicetur, & nisi præter ea quæ ad suscipiēdum gradum præsentaturæ nescessaria sunt per quattuor annos adminus Theologiam legerit aut casus conscientiæ. Nulli præterea concedatur gradus præsentaturæ nisi admi-*

adminus ætatis triginta trium annorum fuerit. In toto autem hoc decreto nec per maiorem Ministrum neq; per Prouincialem neq; per capitulum generale aut prouinciale dispensari valeat. Quod si oppositum factum fuerit totum sit irritum & inane, & pro non graduatis habeantur.

NVLLVS fiat Præsentatus aut magister in Theologia nisi de consensu & licencia simul Ministri Prouincialis & diffinitorum capituli prouincialis. Non tamen capitulum prouinciale gradum magisterij & præsentaturæ conferre valet sed solum exponere & licenciam dare. At graduatum per approbatam vniuersitatem prædictis conditionibus obseruatis admittere potest. Quicquid contra hoc statutum actum, vel attentatum fuerit, totum sit irritum & inane. Quod si aliquis gradum aliter etiam de licencia maioris Ministri ordinis assecutus fuerit pro non præsentato vel magistro habeatur, quousq; prædicto modo admittatur, gradumq; approbatæ vniuersitatis accipiat. Quod si quispiam etiam supra dictis exercitijs per actis, absq; simili approbatione & licencia in scriptis obtenta aliquem gradum susceperit, sit totum irritum & inane, ac talis aut omnino perpetuo priuetur, aut difficilius multo quam alijs gradus ei concedatur, & arbitrio Correctorum puniatur.

IN SACRA vero Theologia (vt prædictũ est) graduatus & admissus sessionẽ & antiquitatẽ, & primã mensam super alios fratres conuentuales obtineat, vocẽq; pro electione Prouincialis & diffinitorũ habeat, et capitularis sit, literasq; recipere, & mittere sine licẽcia possit et à tabula officiorũ sit immunis. Magistri vero ĩ theologia

locum habeant super omnes fratres etiam ministros excepto Ministro sui conuentus in quo est aßignatus & Ministro conuentus ad quem tanquam hospes aduectauerit. Si aliquis graduatus ex alia prouincia ad hanc translatus fuerit vel receptus fuerit non obtineat locum graduatorum quousq; in capitulo Prouinciali examinetur qualiter gradum in sua originali prouincia susceperit & per Prouincialem & diffinitores fuerit admissus. Cæteri tamen prædicatores non graduati ratione prædicationis, nec primam mensam, nec seßionem obtineant.

QVONIAM circa studentes diligẽs est adhibenda cura præcipimus quod studentes aßignandi in nostro Bracẽsi collegio & in alijs quæ pro tempore erunt, sint probati moribus & vita & à maiore parte vocalium suorum conuẽtuum vbi sunt filij electi, & ex commißione vel Ministri Prouincialis vel diffinitorum examinati. Decretumq; prædictæ electionis, approbationis examinis & aßignationis secum ferant, aliter in dictis collegijs pro studentibus admitti, & ad publicas scholas exire omnino prohibemus. Admißi vero nec distrahantur nec alijs occupentur aut vagari permittantur. Qui autem in actibus scholasticis notabiliter negligentes seu in sufficientes inuenti fuerint, per Ministrum Prouincialem à studio absoluantur & alijs officijs occupentur, vel alibi aßignentur.

NVLLVS ordinetur in Subdiaconum nisi grãmaticam sciat ita quod sciat latine loqui & scribere absq; falsa latinitate ac cantare. Et si est Subdiachonus, aliter Diaconus non fiat, & si est Diacanus non fiat sacerdos. Licencia vero vt fratres ordinẽtur non detur, nisi à Prouinciali

ciali, vel à Ministris (si hoc eis committat prouincialis) quos prius debent examinare, an habeant omnes conditiones, iuxta sanctiones sancti concilij Tridentini: quas districte obseruari volumus. Prælatus autem quilibet aliter exponens aliquem in pœnam ab officio absoluatur, & per triẽnium omni officio ordinis priuetur.

NVLLVS exponatur pro confessore & ordinarijs locorum præsentetur, nisi de licencia Prouincialis, aut Ministrorum si eis Prouincialis hoc commiserit, & nisi prius aliquam summam casus consciẽtiæ audierit, præmissoq; circa hæc examine. Hortamur in Dño prælatos, et eorum conscientias grauiter in diem tremẽdum iudicij oneramus, vt ea quæ Iesu Christi sunt tãtum attendẽtes, omni timore & affectione quacunq; humana postposita, suum munus circa hæc fideliter exequantur. Meminerintq; tantum medicis corporalibus periculosius quos approbant erræ re posse (nisi tales sint qui animabus mederi poßint) quantum animæ corporibus præstant.

CAP. V. DE CAPITVLO conuentuali & de pœnarum executione.

CVM ex regula apostolica præcipiatur vt singulis dominicis diebus si fieri potest in singulis domibus Minister cum fratribus capitulum teneat, experiẽtiaq; doceat his diebus propter solennitatem officiorum & propter alio capitulum cõmode fieri non posse, statuimus & ordinamus, vt tale capitulum

omnibus sextis ferijs post Completorium Ministri habeant in quo fratres suas culpas humiliter confitebuntur, & Ministri poterunt breuiter dicere si quid ad honestatem ordinis & correctionem fratrum viderint expedire, & alia fient quae in huiusmodi capitulis fieri solent.

QVONIAM leges adimplere in poenarum executione fere semper consistere experiētia docet, statuimus & districte praecipimus omnibus tam Prouincialibus quam conuentualibus Ministris, ne poenas pro libito, sed iuxta delicti qualitatem & harum constitutionum seriem infligant. Qui vero poenis constitutionum non perpensis delicta vel impunita permiserit, vel ad libitum correxerit, siue Minister Prouincialis, siue conuentualis sit, poena quae reo infligenda erat, irremissibiliter puniatur.

De statu monacho e ea quae.

IN poenis grauioribus infligendis caueant omnino praelati ne aliquem nisi confessum vel conuictum puniant. Accusatus autem a pluribus non contestibus ab vno de vno actu, a secundo de alio eiusdem speciei, talis non est cōuictus, nec potest sententialiter condemnari (nisi praeter accusantem seu denuntiantem adminus duo contestes idonei aduocētur.) Poterit autem ad veritatem dicendam arctari & ad quaestiones poni.

De probationibus. c. licet, et de electionibus. c. cum dilectus et de testibus c. tam literas.

SI IN poenis vero inflictis nonnūquam ex causa honesta dispensare cōtigerit, quoad poenas positiuae solum posse dispensare intelligant. Poenae positiuae dicuntur puta quod stet in carcere, quod comedat in terra panem & aquā quod dicat tot psalteria quod accipiat tot disciplinas & alia id genus. Quoad priuatiuas vero puta quod sit priuatus

voce actiua vel passiua, vel ab officio prædicationis, vel administrationis et alijs huiusmodi quæ in constitutionibus habentur, in his nullus prælatus (maiori Ministro dũtaxat excepto & capitulo generali seu prouinciali) dispẽsare po terit. In pœnis autem quæ sunt canonis latæ sententiæ vt cum in constitutionibus ipsis de inuiolabiliter, irremißibili ter, præcise, indispensabiliter nullus dispensare posse intel ligat, nisi fuerit maior Minister.

CAP. VI. DE APPELLA-tionibus remouendis.

CVM ex appellationibus quas aliqui religiosi cõtra suas cõstitutiones & in perniciẽ ordinis facere ausi sunt, ordinamus et in vir tute spũs sancti sub sanctæ obediẽtiæ præce pto formali & sub pœna excomunicationis latæ sentẽtiæ vna pro trina canonicã monitione præmissa præcipimus vt intra ordinem nulla fiat appellatio cum non venerimus contendere sed potius delicta corrigere.

ITEM (ne delicta maneant impunita, & obediẽ tia in nostro ordine per appellationes friuolas infringatur) statuimus quod quicũq; frater nostri ordinis cõtra obediẽ tiã appellare præsumpserit, præter cẽsurã iã positã sit ipso facto carceri adiudicatus, nec poßit cum ipso (nisi per capi tulum generale) ante annos duodecim dispensari.

APPELLANS autẽ ab absolutione facta, vel facienda ab officijs administrationis prouincialis vel cõuẽ tualis aut vicariatus aut alterius officij (etiam prætextu

grauaminis) ipso facto sit absolutus ab illo officio. Volẽtes quod in istis ratio grauaminis (tam proprij quam cõmunis) non habeat locum quo ad appellandum.

ITEM sub eodem præcepto & sub eâdem pœna excomunicationis primo numero positis in hoc capitulo præcipimus omnibus religiosis vt pro nulla causa nullus appellet ad iudicem sæcularẽ nec ad regem & reginam vel ad consiliũ regale: qui contra hoc fecerit præter pœnas prædictas in hoc capitulo sit absolutus à quocũq; officio quod habuerit, & priuatus voce actiua & paßiua & inhabilis ad administrationem.

ITEM ad nullum iudicem extra ordinem nisi ad sedem apostolicam (cui immediate ordo subditus est) aliquod membrum ordinis illiq; subditum pro iustitia recurrat, sub pœna absolutionis ipso facto, si est prælatus, & priuationis vocis actiuæ & paßiuæ, etiam ipso facto quo ad alios.

CAP. VII. DE LEVI culpa.

LEVIS culpa est, si quis mox vt signum factum fuerit non relictis omnibus, cùm matura festinatione differat se præparare, vt ad Ecclesiã ordinate, & composite, quando debuerit, veniat. Si quis ad gloria primi Psalmi non affuerit. Si quis in choro male legendo vel cantando offendens, non statim se coram omnibus humiliauerit. Si quis diuino non intentus officio, vagis oculis, & motu irreligioso, leuitatem mentis ostenderit. Si quis in Ecclesia, vel in dormitorio, vel in cellis

aliquid

aliquid inquietudinis fecerit. Si quis in choro riserit, vel alios ridere fecerit. Si quis lectionem statuto tempore non prouiderit. Si quis aliud cantare vel legere præsumpserit, quam quod communis probat vsus.

ITEM leuis culpa est, si quis ad prædicationẽ vadens, otiosa locutus fuerit, vel egerit. Si quis dissolute riserit, cachinnis, vel ludis, dictis, vel factis alios ad ridendũ cõcitauerit. Si quis oculos vagos per plateas vel villas eũdo ad vanitates frequẽter direxerit. Si quis in vigilia natiuitatis Domini in preciosa per negligentiam non affuerit, vt pronuntiatis redemptionis nostræ exordijs, corde & corpore gratias agat Deo redemptori nostro. Si quis de via veniens, eadem hora si fieri potest, benedictionem accipere neglexerit, vel absq; ea plus vna nocte moratus fuerit. Si quis ad lectiones dormierit. Si quis temporibus statutis, cũ alijs lectionem auditurus non affuerit. Si quis libros interdictos legerit.

ITEM leuis culpa est, si quis Ecclesiæ vel altaris ornamenta negligenter tractauerit. Si quis vestes suas aut libros loco statuto honeste non deposuerit, vel negligenter tractauerit. Si indumenta vel alia fridata, vel concessa, sine ipsius licencia pro se alius acceperit. Si quis aliquid vtẽsilium fregerit, vel perdiderit. Si quis cibi vel potus aliquid effuderit. Si liber in quo legendum est, cuiuscunq; neglectu defuerit. Si quis aliquid dixerit, vel egerit vnde offendantur fratres.

ITEM leuis culpa est, si quis cibum vel potũ absq; benedictione sumpserit. Si quis in conuentum hora, qua debet venire, distulerit. Si quis ad capitulum vel collationẽ

non venerit, vel communi refectioni nõ interfuerit. Si quis commune mandatum dimiserit. Si quis clamans in clamatione sua iurgium fecerit. Si quis cum, à quo proclamatus fuerit, eodem die, quasi se vindicando, clamare præsumpserit.

ITEM levis culpa est, si quis cum iuramento (vt loquendo fieri solet) aliquid negauerit, vel affirmauerit. Si quis turpem sermonem, vel vaniloquiũ dixerit, vel (quod grauius est) in vsu habuerit. Si quis eorum, qui officijs deputati sunt, in aliquo negligens repertus fuerit vt sunt Ministri in cõuentu custodiendo, magistri in docendo, studẽtes in studendo, cantores in officijs suis, procuratores in exterioribus procurandis, vestiarij in vestibus prouidendis, custodiẽdis, & reficiendis, infirmorũ custos in infirmis prouidẽdis, curandis, & reficiendis, & mortuis necessaria ministrandis, & cæteri in officijs suis vt iniunctum est eis. Clamatis vel proclamantibus se de supradictis, detur pœnitẽtia secundum quod prælato videbitur expedire.

CAP. VIII. DE GRAVI culpa:

GRAVIS culpa est, si quis inhoneste in audientia sæcularium cum aliquo contẽderit. Si frater cum fratre intus vel extra, lites habuerit. Si quis alicui fratri opprobrium dixerit. Si quis mendatium de industria dixisse deprehensus fuerit. Si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit. Si quis culpam suam, vel

alterius

alterius defenderit. Si quis in illum à quo proclamatus est, vel in quemlibet alium maledicta, seu verba inordinata, et irreligiosa maliciose inuexisse deprehēsus fuerit. Siquis fratri præteritā culpā, pro qua satisfecit, improperauerit.

ITEM grauis culpa est, si quis mala de fratribus, aut patribus, vel domibus suis, vel sororibus maliciose euomuerit, quæ testimonio fratrum suorum probare nequiuerit. Si quis procedens vbi fœminæ sunt, oculum fixerit (si tamen hoc in vsu habuerit) vel cum fœmina solus non de confessionibus, vel honestis locutus fuerit. Si quis ieiunia ab Ecclesia instituta fregerit sine causa & licencia. Si quis literas alicui miserit, vel sibi missas legerit, quas prælato suo primitus non ostenderit magistris in theologia & præsentatis dumtaxat exceptis.

PRO huiusmodi culpis & his similibus, veniam petētibus, & non proclamatis, tres correctiones in capitulo dentur, & tres dies in pane & aqua ieiunent. Clamatis vero vna dies, & vna correctio superaddatur, præter hæc autem Psalmi & veniæ secundum quod discretioni Ministri visum fuerit pro qualitate culparum iniungantur. Eadem pœna digni sunt, qui postquam missi fuerint, sine licencia reuerti præsumpserint, vel vltra terminum sibi assignatum moram fecerint, sine rationabili causa, vel si quis pro victu et vestitu, vel qualibet alia re murmurauerit. Caueat autē quilibet frater, ne proclamet aliquem in capitulo de crimine (etiam de auditu) nisi ipsum crimen possit probare. Quod si accusatus negauerit, & accusans in probatione defecerit, pœna accusato debita puniatur. Ne autē vitia occultentur, prælato suo denuntiet, quod vidit, vel audiuit.

Cap.

CAP. IX. DE GRAuiori culpa.

GRAVIOR culpa est, si quis per contumaciam, vel manifestam rebellionem inobediens prælato suo extiterit, vel cum eo intus, vel foris proterue contendere ausus fuerit. Si quis percussor fuerit. Si quis crimẽ capitale idest pœna mortis in sæculo puniendum commiserit. Si quis procurauerit, quod ipse, vel alius eximatur via non iuridica, à potestate sui prælati. Si quis rem sibi collatã receperit, de his quæ prohibentur recipi. Si quis rem sibi collatam cælauerit, quem Beatus Augustinus furti iudicio dicit esse condemnandum. Si proclamatus conuictus fuerit, sponte surgat, & veniam petens, sceleris sui immanitatem lamentabiliter proferat, & denudatus (vt dignam recipiat suis meritis sententiam) vapulet quantum placuerit prælato, & sit omnium nouissimus in conuentu, vt qui culpam perpetrando, non erubuit membrum Diaboli fieri, ad tempus (vt resipiscat) sequæstretur à consortio ouium Christi.

IN Refectorio quoq; ad cõmunem mensam cũ ceteris non sedebit, sed in medio Refectorij super nudã terrã comedet; & prouidebitur ei seorsum panis grossior, & potus aquæ, nec reliquiæ prandij sui cum alijs misceantur, vt cognoscat se ita sequestratum à consortio aliorum, quod priuetur (nisi per pœnitentiã redeat) consortijs angelorum. Ad canonicas horas & gratias post comestionem, ante

ante ostium Ecclesiæ transeuntibus fratribus prostratus iaceat, dum intrant, & exeunt. Nullus vero audeat se coniungere illi, vel aliquid mandare.

PRAELATVS tamen (ne in desperationem labi possit) mittat ad eum qui est in grauiori culpa, seniores, qui commoneant eum ad pœnitentiam, prouocent ad patientiam, foueant per compassionem, hortentur ad satisfactionem, adiuuent per suam intercessionem, si viderint in eo humilitatem cordis, quibus etiam suffragetur totus cõuentus. Nec renuat prælatus cum eo fratre misericordiam. Et si videbitur ei, denuo vapulet ad pedes singulorum, primo prælati, deinde vtriusq; lateris sessorum. Talis quamdiu erit in hac pœna nõ cõmunicet, nec veniat ad osculum pacis. Si prædicator est, prædicationis officium non exerceat. Non notetur ad aliquod officium in Ecclesia, nec vlla ei cõmittatur obedientia, nec vocem habeat (nisi in sui accusatione) ante plenariam satisfactionẽ, vel donec per maiorem ministrum ordinis, aut per diffinitores captuli generalis vel prouincialis fuerit restitutus. Si fuerit sacerdos vel Diaconus, his officijs non fungatur, nisi postmodum religiose conuersatus fuerit.

SI QVIS autem (quod Deus auertat) in peccatum carnis lapsus fuerit, aut furtum commiserit, quod sit notabile iudicio discretorum, vel literas maioris Ministri ordinis, vel Ministri prouincialis, vel eorum sigilla falsificauerit, vel falsificatis scienter vsus fuerit, aut in prælatum suum manus iniecerit temere violentas, aut quemcũq; lethaliter, vel grauiter & atrociter percuserit, aut infra septa monasterij super se arma inuasiua portare præsumpserit.

pſerit, aut aliquid prædictorum fieri fecerit, carcerali cuſtodiæ mancipetur.

S I Q V I S etiam alteri fratri ordinis, vel ipſi ordini crimen falſo impoſuerit propter quod crimen ſecundũ noſtrarũ ſeriẽ conſtitutionum frater aliquis carcerem mereretur aut aliquem fratrẽ erga laicos diffamauerit, aut crimina quæcunq; huiuſmodi fratrum ſæcularibus perſonis, & extra obedientiã noſtri ordinis conſtitutis reuelauerit, vnde fratri, vel ordini infamia, vel damna fuerint ſubſecuta, modo conſimili carcerali cuſtodiæ mancipetur. Et nolumus quod huiuſmodi ordinis deſtructores poſsint (niſi per maiorem miniſtrum ordinis, aut per generale vel prouinciale capitulũ) liberari. Idẽ dicimus de fratribus, qui inuenti fuerint ad taxillos luſiſſe, aut in ſentẽtiã, excomunicationis à quocũq; iudice noſtri ordinis rite latam ſcienter incidiſſe. Quos etiam pœnæ carceris volumus ſubiacere.

S I Q V I S autem tale quid extra monaſterium commiſerit, frater qui cum eo eſt, ſtudeat eius exceſſum prælato quamtotius corrigendum intimare. Correctus vero, ad locum, in quo tale quid cõmiſit, vlterius non redeat niſi ita religioſe conuerſatus fuerit, quod per diffinitores generalis vel Prouincialis capituli illuc reuerſurus iudicetur. Si vero huiuſmodi peccatũ occultum fuerit, diſquiſitione ſecreta (ſecundum tempus, & perſonam) condignam agat pœnitentiam.

S I Q V I S autem de mala familiaritate notabiliter ſuſpectus fuerit & poſt admonitionẽ à prælato de conſilio diſcretorum fratrũ coram eiſdem plures ſibi factam, ſe non correxiſſe deprehenſus fuerit, præcipiatur ei in virtute

tute Sanctæ obedientiæ per prælatum coram illis, corã quibus monitus fuerat, si præsentes fuerint, vel coram alijs discretis de consilio eorundem, vt à tali familiaritate desistat. Quod si tale præceptum transgressus fuerit, postquam hoc legitime constiterit, tanquam reus, & conuictus de suspecto crimine habeatur.

S I Q V I per coniurationem, vel conspirationem, vel malitiosam concordiam, aduersus ministros, vel prælatos suos manifeste se erexerint, supra dicto modo pœniteãt & de cætero in omni vita sua extremum locum sui ordinis teneant, & vocem in capitulo non habeant, neq; eis aliqua committatur obedientia nisi per maiorem Ministrum ordinis vel diffinitores capituli generalis, vel prouincialis fuerint restituti.

S I Q V I tamen fratres non malitiose, sed in veritate aduersus prælatum suum aliquid habuerint, quod tolerari non debeat, nec deceat, prius eum inter se cum omni humilitate & charitate de sua correctione admoneant. Quod si frequenter admonitus, se corrigere neglexerit, aut contempserit maiori Ministro vel Prouinciali vel visitatoribus significent, vt cum ad eandem domum visitandã venerint, causa manifeste indicetur. Aliter prælatos suos subditi infamare non præsumant.

Statuimus, quod siquis nefandũ crimẽ cõtra naturã, homicidij, vel propinati (etiam effectu nõ subsecuto) veneni cõmiserit, perpetuo carceri sit addictus, à quo nec per maiorem Ministrum, nec per Generale vel Prouinciale capitulum possit ante annos viginti liberari. Et nihilominus pœnis alijs puniatur secundum prælati discretionem.

Cap.

CAP. X. DE GRAuissima culpa.

GRAVISSIMA CVLPA est, incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recusat ferre, vel ex earum sæpius repetita inflictione iudicio discretorum cognoscitur non proficere. Talis de consilio discretorum carcerali custodiæ mancipetur, & ibidem secundum exigentiam culparum, iuxta discretionem prælati, ieiuniis, & abstinentiis puniatur, vel secundum regulam Beati Augustini (si magis expediens iudicatur) per maiorem Ministrum ordinis vel Prouincialē exutus habitu ordinis de nostro ordine expellatur, si tamen vsq; ad illam horam sani capitis, & integri sensus extiterit. Quod tamen mature fiat, ita quod appareant gesta cum toto processu & sentētia in scripturis, & cum debitis subscriptionibus & sigillis. Nullus autem cum habitu ordinis ob quācunq; causam criminalem à sua prouincia eiici possit (simpliciter, vel ad tempus) nisi à maiore Ministro ordinis aut generali capitulo.

FINIS DISTINCTIOnis secundæ.

ET NE MVLTITVDO sit constitutionum abolemus & annullamus cæteras constitutiones Prouinciæ hactenus factas, exce-

exceptis his quæ pertinent vel ad cæremoniale vel ad ordinarium ordinis.

HAEC sunt quæ pro conseruanda religione & pace & vnitate huius prouinciæ tam religiose opere pretium duximus veluti leges & constitutiones autoritate Apostolica nobis indita stabilire, volentes hæc omnia statuta & ordinata perpetuo valere & permanere, ac valida & efficacia existere. Et ita ea approbamus & confirmamus statuentes & mandantes sub pœnis & censuris cōtentis in literis sanctissimi Pontificis nostri, quibus institutus sum commissarius Apostolicus huius prouinciæ, vt nemo nec nunc nec in posterum audeat hæc omnia statuta aut partem tollere aut mutare aut dispensare. In quorum robur his subscripsimus officij sigillo munitis. Datis Hispali, die. 24. Aprilis.

1573.

Frater Petrus Arias. Commissarius Apostolicus.

NOS EL PADRE MAEstro Fray Francisco de Montilla, Prouincial de la orden dela Sanctissima Trinidad desta prouincia del Andaluzia, y los infrascriptos difinidores en nombre de toda la prouincia acceptamos las dichas constitutiones hechas por el muy reuerendo padre maestro Fray Pedro Arias Commissario Appostolico y nos obligamos à perpetuamẽte guardarlas y cumplirlas como enellas esta contenido. Fecha en veynte y siete de Abril, año de mil y quinientos y setenta y tres, en nuestro definitorio de nuestro capitulo Prouincial celebrado en la Ciudad de Seuilla.

Pater frater Franciscus de Montilla.	Minister Prouincialis.
Frater Michael Garijo.	Minister Corrector.
Frater Sebastianus Brauo.	Minister & Difinitor.
Frater Illephonsus Aillonus Difinitor.	
Frater Andreas de Valpuesta.	Præsentatus & Corrector.

YO FRANCISCO MARTINEZ Arroya clerigo presbitero Notario Appostolico, doy fe y verdadero testimonio, como en Lunes à la nona veynte y siete dias del mes de Abril de mil y quinientos y setenta y tres años, estando dentro del monasterio dela Sanctissima Trinidad extra y cerca delos muros dela ciudad de Sevilla, el muy magnifico y muy Reuerendo señor maestro Fray Pedro Arias comissario Apostolico desta prouincia del Audaluzia de la orden de la Sanctißima Trinidad en mi presencia y delos testigos infra scriptos, notifico las cõstituciones retro scriptas al muy reuerẽdo padre maestro Fray Francisco de Montilla Prouincial, y à los muy reuerendos padres Fray Miguel Garijo maestro y Ministro del dicho monasterio. Y al padre presentado Fray Sebastian brauo Ministro de Baeça. Y al padre presentado Fray Alonso de Ayllon. Y al padre presentado Fray Andres de Valpuesta frayles professos dela dicha orden dela Sanctißima Trinidad, difinidores del capitulo presente Prouincial, que se celebro enel dicho cõuento en los dichos dia, mes y año, para que en nombre de la prouincia las aceptassen perpetuamente y las guardassen y fiziessen guardar, y aßi notificadas las aceptaron, y se obligaron de guardallas y fazellas guardar, y en cumplimiento dello las firmaron de sus nombres como arriba esta firmado à lo qual fuerõ presentes por testigos Pedro de Chaues y Sebastian Aragosa familiares del dicho monasterio para ello llamados.

Ita est. y passo ante mi. — Francisco Martinez Arroya Clerigo Apostolico Notario.

FRATRIS DIDACI de Auila, ordinis Sanctissimæ Trinitatis, filij domus Hispalensis, carmen laudatiuum.

RENOVABITVR VT Aquilæ iuuentus tua. &c.

CVM trepido celsus senio circundatus Ales,
incorruptibilis regia regis auis,
Non valeat solito furiosis vnguibus vsu
Prædari indomita calliditate volans:
Euolat ad celsum veloci pectore nidum,
Membra fouens crebris debilitata malis.
Sola sedet, donec nitido spectabilis ore
exeat à minima peruolatura domo.
Tantalea sitibunde fame, quid quæris auare
Auriferas patuli perfidus orbis opes?
Decrepitam quicunq; cupis dimittere mentem,
Oraq; monstriferis vermiculata dolis,
Abdita diuini gusta medicamina ritus,
Væ tibi qui stultus pharmaca nostra fugis.

Incipit

INCIPIT REGVLA SORORVM ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum.

(∴)

DE OBEDIENTIA Caput. I.

IN nomine Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, sorores ordinis sanctissimæ Trinitatis, in cõmuni & castitate, & sub obedientia Ministri viuent: & sub obedientia vnius ex sororibus, quam Minister ei diputabit, quæ mater à cæteris sororibus vocetur: cui omnes obediant, tanquam Ministro. Omnibus suis bonis quæ antea habebant, liceat eis vti de licencia Ministri. Et etiã his quæ ad eas hæreditario iure pertinent, vel laboribus honestis acquirunt. Qualibet quinta feria cuiuslibet anni, ad hoc possidendum obtenta à Ministro licencia nullo modo aliquid de retentis distribuent: nisi ad certos vsus nescessarios sui ipsarũ & familiæ. Si aliquid extra expensas victus & tegumenti consummendum sit, de Ministri assensu & voluntate sit. De bonis suis non disponet, exceptis expensis tantum nescessarijs.

DE HORIS DICENDIS Caput. II.

OMNES Horas diurnas pariterq; nocturnas sorores dicent, quæ sunt literatæ suis temporibus: quæ non sunt literatæ dicēt ad Matutinas quindecim pater noster, & totidem aue Maria: ad Laudes decē pater noster & aue Maria: ad Primam, & Tertiam, & Sextam, & Nonam suis temporibus pro qualibet hora decem pater noster, & aue Maria: ad Completorium decē pater noster & aue Maria. Omni secunda, quarta, & sexta feria dicēt omnes sorores pro defunctis ad Matutinas quindecim pater noster & aue Maria: ad Laudes decem pater noster, et aue Maria: ad Vesperas quindecim pater noster & aue Maria, in fine requiem æternam. Omni quinta feria & Sabbato dicent quindecim pater noster & aue Maria. Quinta feria ad Sanctissimā Trinitatem, Sabbato ad Beatam Virginem in Aduentu & quadragesima duplicabunt omnia.

DE IEIVNIIS SORORUM. Caput. III.

IEIVNENT sorores à propinquiori dominica festi sancti Martini vsq; ad Natale in cibo quadragesimali, & à septuagesima vsq; ad Pascha Resurrectionis. Omni quarta feria carnes nō comedēt sed extra aduētū, & quadragesimā non ieiunabūt. Ieiunēt omni sexta feria, itaq; semel in illa die comedāt, & sexta feria maioris Hebdomadæ in pane & aqua ieiunabūt, atq; omnia ieiunia quæ consueuit Ecclesia similiter ieiunabunt.

QVALITER SE DISPONENT sorores in Ecclesia. Cap. IIII.

In

IN Ecclesia sorores in loco per Ministrum aßignatum, in silentio, & honestate erunt. & ibi nulla loquantur, nisi nesceßitate cogente, breuiter remissa voce simul stabunt, & simul se debēt audientes officium: & si aliqua nesceßitas aliquam exire compellit, proprius à matre licenciam obtineat. Nulli liceat sine licencia exire, incedentes binæ, & binæ, calculos habeant honestos, et non curiosos.

DE CAEREMONIIS quas debent sorores in Ecclesia obseruare. Caput. V.

IN Ecclesia sorores vniformiter se habeant in cæremonijs, deuote attendentes, quid in diuinis cantetur. Quando sacerdos facit confeßionē, ante introitum Missæ genua flectent, & inclinatis capitibus confeßionē dicant. Dum officium incipit sacerdos, surgentes stabunt, finita gloria ad orationes se inclinabunt. Dum Credo dicitur, quando cātatur & homo factus est, prostrabunt se vsq; ad resurrexit. Ad præfactionem & pater noster, surgentes stabunt in residuo temporis genibus flexis, erunt vsq; ad vltimas orationes ad quas surgentes inclinatis capitibus stabunt. Ad horas canonicas in principio stabunt, vsq; ad inceptionem Psalmi, postea sedebunt. Ad gloriā cuiuslibet Psalmi surgentes stabūt capitibus inclinatis ad Magnificat. Ad quia respexit, genua flectāt: & surgētes in principio stabūt similiter, ad orationes stabūt inclina

tis capitibus. Ad vesperas de Beata Virgine stabunt semper vsq; ad maiores vesperas.

DE CONFESSIONE & communione sororum. Caput. VI.

CONFITERI habent sorores qualibet prima & sexta feria cuiuslibet mensis, & in vigilia Natalis & Resurrectionis, & Pentecostes, & Trinitatis Beatissimæ & in vigilia Assumptionis: & recipiant sacrum Domini corpus in diebus Natalis, & feria quarta Cinerum, & in die Resurrectionis, & in die sanctissimæ Trinitatis, & in die assumptionis Virginis, & in die Omnium Sanctorum, & in die Sancti Martini, quia à propinquiori Dominica ieiunium inchoat.

QVALITER SORORES debent regulam audire. Cap. VII.

OMNI prima & sexta feria cuiuslibet mensis, conueniant sorores nostri ordinis in vnum locum per Ministrum assignatum, ad audienda præcepta regulæ, quæ exponet Minister, vel aliquis religiosus de eius mandato. Et si mutuo se offenderint ante pedes Ministri se prosternant veniam petentes. Si aliqua ex sororibus, sororem suam offenderit; demorari non debet in deferre medellam, vnde factum est vulnus, & ante pedes offensæ prostrata veniam petat. In Ecclesia, vel ciuitate, aut vbi-

vbicumq; fuerint, inuicē custodiant suam castitatem, oculos non habeant vagos, sed humiles versus terram inclinatos. In gestu, in cessu, statu, habitu, nil fiat quod cuiusq; offendat aspectum: sed quod ad earum deceat sanctitatem. Extra proprias domos nō comedent, aut bibent; nisi aliqua viguerit nescessitas, & raro.

QVOD SORORES nostri ordinis debent fugere conuersationem laicorum. Cap. VIII.

CONVERSATIO *sororum semper bona & honesta esse debet, & à consortio secularium separata. Consortia enim secularium, sæpe corrumpunt honestatem religiosarum. Etiam consortium parentum vitandum esse volumus: quando inutile & in fructuosum extiterit, nisi sint aliqua nescessitate coactæ, & de licencia Ministri per prius obtenta, locis & temporibus decentibus. Silentium obseruēt sorores omni tempore, præter quam in actibus & locis, cum personis honestis quando hoc nescessitas poposcerit. Præterea quarta feria cinerum, & quinta & sexta ferijs maioris Hebdomadæ, ab eloquijs cum secularibus omnino se abstineant, in diebus quibus Ecclesia ieiunare consueuit, extra domos suas vagare non liceat, atq; egressum euitare studeant præter ad Ecclesiam.*

QVOD NON LICEAT sororibus extra ciuitatem exire nisi de licencia. Caput. IX.

INHIBEMVS sororibus egressus à ciuitatibus, vel oppidis in quibus adhabitãdũ destinãtur, absq; Ministri per prius obtenta licencia, & benedictione. Nec ab occasu solis vsq; ad ortum extra proprias domos manere præsumant, vel dormire. Nec per vicos & plateas discurrere. Otium vitare curabunt sorores, ne inimico agrediendi detur occasio, sed semper eas in bonis operibus se exercentes inueniat, omnipotẽti Deo gratias reddentes, ac debitas Laudes, orantes altissimum pro eis, pro quibus vniuersalis orare consueuit Ecclesia, & in nostra religione præceptum est orare.

DE HABITV ET vestibus sororum. Caput. X.

VESTES sororum sint laneæ & albæ & non alterius nec diuersi coloris, nec sint nimis prolixæ nec nimis breues: nec curiosæ & leues, sed vestes earum sint mediocris panni, vniformes in factura, in scapularijs Crucem habeant in pectore super adiectam, in mantellis similiter ponatur Crux lateri dextro superposita. Calciamenta

menta earum ſint honeſta, ſandalia clauſa coloris nigri, altitudinis trium digitorum. zonas non deferant laneas ſed cutis nigræ latitudinis vnius digiti, & lõgitudinis vſq; ad genua, & palmum vltra. Tales lectos habeant ſorores, qui magis ad pœnitentiam quam ad molliciem ſecularem eas inducant: ſyndonibus, aut linteis & tunicis non vtantur, niſi in ægritudine & de licencia Miniſtri. Ceruical cum coccino ad ſuſtentationem capitis habere licebit.

DE ORNAMENTO Capitis ſororum. Caput. XI.

VELVM in capite nimis ſubtile ſororibus minime liceat portare, ſed ornamentum capitis ſit duplicatum & honeſtum, non nimis ſumptuoſum, ſed linteum album & groſſum competentis precij. Facies mundas & nõ fucatas habeãt, nec aliquid quod oculos ſummi regis offendat in eis appareat, ſed ſanctitatis ſignũ animæq; mũditia, reſplẽdeat. Loquutionem ſororum interſe ſanctam ac fraternam eſſe iubemus. In habitu, in ceſſu, geſtu, & loquella, nihil fiat quod alicuius offendat aſpectum, ſed quod ad earum expectat ſanctitatem. Nulli maledictum pro maledicto reddatur, ſed mutua charitate tractentur.

QVANDO SOROR infirmatur, Cap. XII.

Infirman

IN FIRMANTE SORORE, vna, vel plures ex sororibus benignioribus diputentur, vt illi semper aßistat. Cæteræ omnes quotidie eam visitent, & si necesse fuerit ad eius releuationem, & sanitatem, vel inhærente morte prope adesse videatur. Ante omnia cōfiteatur de omnibus peccatis suis & sacrosanctum recipiet Sacramentum propinando im mortalem animæ medicinam, à qua corporis salus procedit. Appropinquante hora obitus, omnes sorores conueniant simul, & sicut pro fratribus constitutum est, fiat. Defuncta sorore in sepultura fiat, sicut pro fratribus fieri consueuit.

EXPLICIT REGVLA Sororum.

¶ IN Forma recipiendi sororem ad habitum, & profitendi seruetur modus, qui seruatur in receptione & professione religiosorum, mutatis mutandis, & cæteris requisitis.

Incipit

INCIPIT

FORMVLARIVM OMNIVM SPECTANTIVM

ad Prouincialis officium, & Ministrorũ quoq; ordinis Beatissimæ Trinitatis, & redemptionis captiuorum de obseruantia. Nec non forma absoluendi, & cõfor mandi Ministros in pleno capitulo ac forma prouidendi, absoluendi, habilitandi fratres eiusdem ordinis.

FORMA ABSOLVENDI

Ministros per Prouincialẽ in pleno capitulo, & etiam absolutio particularis ad extra. Caput. I.

DOMINVS NOSTER IESVS *Christus vos (vel te) absoluat & ego autoritate eius, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & autoritate summi Pontificis, & Reuerendi Patris nostri Generalis, qua fungor: vos (vel te) absoluo ab omni vinculo excomunicationis maioris, vel minoris, ad eum pertinentes si forte incurristis (vel incurristi) & à participatione cum excomunicatis, si tenemini (vel teneris) & ab omni trãsgreßione regulæ, & statutorũ nostri ordinis, & constitutionum, & ab omni macula infamiæ, et Apostasiæ, & ob omni negligentia cæremoniarum & ab omnibus*

omnibus casibus autoritate literarum Apostolicarum & officij nobis reseruatis & pertinentibus, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen.

FORMA PROVISIONIS electi in Ministrum. Cap. II.

FRATER. N. Prouincialis Bethicæ prouinciæ ordinis Beatissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorũ, in Dei filio sibi charissimo fratri. N. salutẽ, & Spũs sancti consolationem. Licet pastoralis curæ sollicitudo nihil aliud sit, quam quædam tempestuosa mentis afflictio, cum proprijs omissis, alienis cõmodis vacare oporteat. Charitate tamen fraterna cogimur, affectatæ quietis dulcedine se posita communem præferre vtilitatem, & regimine confratrum necessitatibus deseruire. Sane fratres conuentus nostri, N. Ministri sui solatio destituti, cõuenientis in vnum, iuxta nostrarum seriem constitutionum, vt sibi de idoneo capite prouiderent, gratia desuper irradiante diuina, te in suum eligere Ministrum prout expressius patet, eorum electionis decreto, maturo præhabito consilio, & decreto diligentius examinato, te ante dictum fratrẽ N. de cuius prudentia, maturitate, morum honestate, Doctrina, ac Religionis zelo plurimũ in Domino confido, tenore præsentium in Ministrum præfacti couentus do, & confirmo, cum autoritate corrigendi, & castigandi, ligandi, & soluendi, Nec non eaque ad prædictum conuentum, tam spiritualia, quam temporalia, & vtilia extiterint procurandi,

cum ea potestate quæ dari consueuit Ministris in nostro ordine de obseruantia confirmatis, secundum nostrarum seriem ordinationum: præcipiens & mandans, omnibus & singulis fratribus, sororibus, & donatis in præfacto conuentu existentibus, & concurrentibus, atq; intra sæpta eiusdẽ domus commorantibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excomunicationis pœna quam in his scriptis ferimus contrariũ facientibus, trina canonica præmissa vt tibi. N. Ministro electo, & confirmato, tanquam mihi obediant in præmissis. Et quamuis de obedientia tua plurimum sperem, vt tamen ad maius meritorum augmentum cædat impositum onus, inhibemus tibi in virtute Spiritus sancti, & Sanctæ obedientiæ, ne possis alienare, nec vendere, aut pignori obligare, vel erradicare bona mobilia dicti monasterij, in quorum testimonio præsentes fieri fecit, & sigillo nostræ Prouinciæ communiri. Datum in loco. N. die mensis. N. Anno Domini. N.

DE FORMA ELIGENDI, & confirmandi Ministros, quando potestas est deuoluta ad Patrem nostrum Prouincialem propter defectum electionis Cap. III.

IN Christo Dei filio dilecto. &c. *Viso & examinato vestræ electionis decreto, quã fecistis de fratre. N. ipsum eligendo in vestrum Ministrũ & pastorem: reperi non rite, & canonice factam, vel quia defecit compromissum, vel scrutinium in suis substantialibus*

bus, vel quia non in tẽpore debito. Aut quia defecit in materia electi, aut ætate congrua, vel scientia oportuna, vel quia erat excomunicatus, vel quia defecit in aliquo, vel aliquibus in iure, & in nostris constitutionibus de obseruãtia contentis: ob quam causam ipsam vestram electionem tanquam nullam irritaui & cassaui, & cassatam, & irritatam cum priuatione vocum vestrarum pro hac vice alium eligere non posse Ministrum vobis significo, ac denuntio per præsentes: & quia potestas vestrum eligendi Ministrum ipso iure est ad me deuoluta, nolẽs vos & cõuentũ vestrũ suo Ministro carere debere & pastore. Fratrem. N. idoneũ & sufficientem, in quo nullus defectus reperitur, quo inelligibilis reddatur: moribus bonis, & virtutibus ornatum, in vestrũ vestriq; conuentus Ministrum & pastorem elegi, & electum à me rite confirmaui, ac etiam eligo, & sic electum à me confirmo, & confirmatum significo, & denuntio præsentium per tenorem: cõferens idem. &c. vt supra.

FORMA HABILITANdi fratres vnius conuentus ad secundam electionem qui peccauerunt in Prima. Cap. IIII.

ET licet eligentes & peccantes in forma eligendi & in materia electi, sint ea vice priuati vocibus eorum: tamen Pater noster Prouincialis potest si ei placet, eos aduoces restituere, & habilitare, sub hac forma.

IN CHRISTO sibi dilectis &c. Cũ propter defectum

defectum commissum in forma eligendi, siue in materia electi vestræ electionis quã de fratre. N. fecistis, vt clara veritate reperi examinato decreto vestro mihi transmisso, incideritis in pœnam priuationis vocum vestrarum, non valentes hac vice alium eligere Ministrum. Ipsius electionem vestram ideo cassauerim, & irritauerim, cum iuris nõ obtineat firmitatem: & ex eo vestrum eligendi Ministrum mihi sic deuoluta potestas, valens per me ipsum vestrũ eligere pastorem: de gratia speciali potestatem meam vestrũ eligendi prælatum in vobis transfero, & transmissam ac translatam in vobis esse volo, vos habilitans & restituẽs ad vestras proprias voces, per præsentes mandans vobis quatenus ad aliam electionem procedere valeatis, præuia conscientia, cum prudentia discretionis tali, ne in ipsam vestram electionem quam de Ministro vestro futuro facietis, à debito exorbitetis iure vitium quodcunq; importabile vlterius committendi. Vale. Datum. &c.

FORMA ABSOLVTIONIS alicuius Ministri propter eius defectum vel culpam. Caput. V.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. cum in sacris canonibus reperiatur, fore cautum, quod Prælati erga subditos solicitam debent gerere curam, corrigẽdo inquietos, insolentes & discolos verbere regularis disciplinæ (iuxta trãsgreßionẽ repertã culparũ) puniẽdo. Cũ rei publicæ expediat, vindicare delicta, vt ab errore

male agendi retrahantur, & ad bene agendum inducãtur. Vos autem in prædictis vestram desidiosam negligentiam non attenditis: quia disciplinam correctionis in manibus vestris non tenetis. Quare sub præsidentia regiminis vestri, multi errores cõtra nostra regularia cõmittũtur & vitia: quibus nostra regularis obseruantia in conuentu prælationis vestræ naufragatur quamplurimum: ex eo, quia erynni vitiorum disciplina correctionis non studetis diligenti emẽdare cura. Ideo vos ipsum cum talibus errantibus, etiam pariter errare demonstratis, ea propter quia non exercetis officium veri pastoris, qui oues in syluas, ne rapiantur à lupis intrare non permittit: exclamando & eas virga percutiendo. Quia subditos vestros per abruta vitiorum transgreßionis regulæ & constitutionum, ac admonitionum superiorũ transcurrere permittitis. Ideo in tali, & tã discriminosa præsidentia vestra minime sustinere debeo, salua salutis conscientia. Impulsor ergo causis ante dictis, ab officio administrationis conuentus. N. & ab onere dicti officij, præsentium tenore vos absoluo, & reuoco, atq; sic absolutos, & reuocatos, denuntio, & significo per præsentes. Valete.

FORMA ABSOLVEN di Ministrum indiscretum. Capvt. VI.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. quia pastorale officium exigit prudentiæ discretionem, vt poßit debita ordinatione suos disponere & regulare subiectos, à qua multũ deficitis. Cũ in agendum circa administrationis officium pertinentia

tinentia prudentia discretionis sit aliena à vobis, quia multa agitis reprehensione digna, quæ subditos vestros in multis perturbant, volens igitur imprudentiæ, ac indiscretioni vestræ remedium debitum & opportunum dare (prout teneor) cum administrationis officiũ vobis non conueniat, ideo ab officio administrationis. N. vos reuoco & absoluo, atq; sic absolutos & reuocatos, vos denuntio harum literarum mearum patenti continentia. Valete. Datũ. &c.

FORMA ABSOLVENDI Ministrum bonorum domus dilapidatorem. Caput. VII.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. &c. Ad pastorale officium expectat ac pertinet, bona temporalia pro necessitate Ecclesiæ prudenter dispensare & ordinare. Alias oppositũ facientes ab officio debẽt prælaturæ totaliter ammoueri, & quia manifestis modis bona temporalia vestri conuentus non dispensatis discretione regulantis prudẽtiæ (licet potius ipsa dispergatis prodigalitate vitiosa, qua domus vestra patitur multa incommoda & detrimenta) nolens talia discriminosa damna conuentum vestrum debere pati, ideo à vestro officio vos absoluo, & absolutos esse volo, atq; reuocatos per præsentes denuntio.

FORMA ABSOLVENDI Ministros, qui volunt & petunt, absolui, per patrem Prouincialẽ. Cap. VIII.

IN Christo sibi dilecto fratri .N. &c. Quia à me instantibus, & deuotis precibus, de speciali petistis gratia ab onere officij administrationis domus .N. debere ac reuocari, vt ammodo perfrui valeatis optatæ quietis, solatio, propter multiplices quas pertulistis laboriosas, in dicto administrationis officio præmissis precibus vestris, vt vobis impartiar consolationis gratiã, affectu concedens beniuolo, inclinatus quotiescumq; à receptione, vel data præsentium in capitulo publico, ibidem fratribus cõgregatis, meas literas per vos legeritis, vel per alium duxeritis legendas, ex nunc pro ex tunc ab administrationis officio præfatæ reuoco, pariter & absoluo, atq; istis sic lectis literis, te absolutum, & reuocatum à dictæ prælaturæ officio, omnibus significo ac denũtio per præsentes. Datum. &c.

FORMA INSTITVENDI Vicarium in aliqua domo suo carente Ministro. Cap. IX.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. &c. cum ad præsens domus. N. suo careat Ministro, & pastore ad gubernandum & regendum eam, nec habeat debitum Vicarium nolens dictam domum stare debere sine aliquo gubernatore, ne corruata dicto ordinata, quæ vitam regularẽ deformãt propter vitia in punita, ideo vos de cuius religione zeli rectitudine in domino gero fiduciam pleniorem, in dicta domo .N. do vicarium cum omni plenitudine potestatis quã habent Vicarij in conuentibus, vel domibus mortuo Ministro vel

vel ammoto, donec Minister dictæ domus fuerit electus et confirmatus, ac præsens fuerit in eadem.

FORMA INSTITVENDI Vicariũ in Prouincialem quando Prouincialis à Prouincia se absentare habet. Caput. X.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. Cum ad nostrũ generale capitulum quod. N. die præsentis anni in tali loco debet celebrari, accedere debeã, vel quia ad Sarracenos oportet transire pro redẽptione Captiuorũ, siue propter aliquod ligitimum: & nolens (vt debeo) Prouincia nostrã N. sine idoneo & oportuno rectore & gubernatore dimittere, vos, vel te (de cuius discreta prudentia ac religione bona zeliq; rectitudine in Domino gero fiduciam pleniorẽ) do, instituo & dispono, ac facio in nostra Prouincia & super omnes & singulos cõuentus, ac domus fratrũ nostri ordinis meũ Prouincialẽ Vicarium tam in spiritualibus, quam in tẽporalibus, tã in capitibus, quã in mẽbris, conferens vobis plenam & liberam autoritatem & potestatem corrigendi & puniendi, visitandi, examinãdi, præcipiendi, requirendi, citandi, sententias ferendi, pœnitẽtiandi, mutandi, à quouis officio absoluendi (contingente casu) Ministros confirmandi & declarandi, ac demum omnia & singula faciendi & ordinandi, quæ ego ipse mea potestate facere possem; si in Prouincia præsens adessem (etiam si talia essent quæ mandatum exigerent speciale ad ipsa faciẽdum) præsentium expressato tenore. Incipiet aũt

hæc vestri Vicariatus autoritas, à. N. die. N. & durabit quo vsq; ad prouinciam reuersus fuero, & præsens extitero in eâdem cum notitia ad prædicta. Bene in Christo Domino valete, & me fratrum orationibus deuote recomẽdate.

FORMA INSTITVENDI visitatorem qui visitet cæteras domos. Caput. XI.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. cum ex ordinatione & mandato constitutionũ nostri ordinis de obseruãtia debeã ac tenear, per me ipsum aut per idoneum visitatorem omnes & singulos visitare conuentus ac domos prouinciæ et quia ad tales cõuẽtus, vel domos, certis & legitimis impedimẽtis occupatus eis, quæ vestræ prouinciæ & ordinis concernũt honestatẽ, pro præsenti (vt expediret) accedere nõ possũ pro visitationis officio. iccirco vos de cuius prudẽtia & religione, ac zeli rectitudine in Dño fiduciã gero plenio rẽ, in dictis conuentibus, vel domibus do & instituo, dispono ac facio meum visitatorẽ ac cõmissarium, vt vice mea dictos conuentus siue domos visitare cum plenitudine quã habent visitatores tenore constitutionum valeatis: vobis cõcedens cætera facere posse, tam in correctoribus, quãpunitionibus & reformationibus opportunis quæ cædãt, & cædere valeãt ad dictorũ conuentuum honestatem, & ordinis reformationem, & honorem. Valete. Datis.

Forma instituendi Vicariũ in aliquo speciali conuentu propter litigia, seu aliam contingentem causam. Caput. XII.

In

IN Christo sibi dilecto fratri. N. querella mihi est proposita, quod in conuentu. N. sunt litigia rixosa, quæ dictum conuentũ in multis perturbãt, et quia iustitiæ opus est vnicuiq; ius suum reddere, vt talia rixosa litigia auferantur, & sciantur ad pacis tranquillitatem, cui debetur impenso iure suo, vos de cuius prudẽtia ac religione, ac zeli rectitudine in domino fiduciã gero pleniorem, in dicto conuentu & super omnes fratres dicti conuẽtus, tam in capitibus, quam in mẽbris, tam in spiritualibus quã in temporalibus meum instituo, & dispono vicarium, conferens vobis plenam autoritatem meam corrigendi, pœnitentiandi, visitandi, examinandi, sententias opportunas ferendi & maxime ea quæ ad dictam principalem pertinent causam. Contra quælibet rixosa, & litigiosa vt sopiantur debito fine faciendi, & ora ac singula operandi, & exercendi, quæ concernunt & cõcernere possunt, dicti conuentus fratres (iustitia iuris ad hoc interposita) reformationem, pacem, ac nostri ordinis honestatem, & mei ac prouinciæ expedientem honorem. Durabit autem vestri vicariatus authoritas. N. diebus postquam dictũ conuẽtum fueris ingressus. Datum. &c.

FORMA EXCOMVNIcandi contumacem & rebellem fratrem nolẽtem venire ad claustrum suæ religionis. Cap. XIII.

DILECTIS fratribus. N. N. Cum ex mandato sacrorũ canonũ fugitiuos et vagabũdos fratres

teneamur requirere, & ipsos reducere ad sui ordinis claustrum, ne vt errabundi pereant, salua ordinis discipli na, & cum diebus multis illicenciati (vel illicenciatis) incedatis, vel incedas ad quæuis loca vagabundi (vel solus) contra vestri ordinis si honestatem, & in damnationẽ animarum vestrarum, vt reducamini ad ouile gregis fratrum vestrorum, prout debetis ac tenemini, iccirco vos requirimus, citamus & monemus tenore præsentiũ semel atq; ite rũ & perẽptorie, nec nõ in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obediẽtiæ, & sub excomunicationis pœna latæ sentẽtiæ quam ipsofacto incurratis, præcipientes mandamus, quatenus infra sex dies, à receptione præsentium, vel postquam de præsentibus constiterit vobis, ad claustrum vestri conuentus & ordinis Beatissimæ Trinitatis deposita omni rebellione humiliter venire ac redire debeatis, à quo exire seu discedere vobis non liceat (nisi Prouincialis licencia obtẽta.) Quemadmodum & fratres nostri ordinis faciunt, et seruant Monasterij septa, nisi præhabita suorũ superiorũ, & obtenta licencia nullatenus ab eisdem egrediẽtes, quod si infra dictum terminum sex dierum, quem vobis statuimus, vnum pro tribus, & peremptoria canonicâ monitione sic præmissa venire contempseritis, vel nolueritis, in vos & supra vos, tamquam contumaces & rebelles mandato rum nostrorum & ordinis, ex nunc pro ex tunc & è contra excomunicationis sententiam inferimus, & his scriptis sedentes pro tribunali, atq; vos sic excomunicationis vinculo enodatos vos nunciamus per præsentes. Actum, & Datum. N: & c. Subsigillo nostræ Prouinciæ in testimonium & robur præmissorum.

Forma:

FORMA ASSIGNANDI studentes in aliqua vniuersitate, vel studio aliquo. Caput. XIIII.

IN Christo dilecto fratri. N. professui vestro beniuolo affectu intendens, & cũ nulli liceat secũdũ nostrarũ seriem constitutionum ad studium accedere, sine sui obtenta licẽcia superioris, tenore præsentium in vniuersitate, vel studio, aut conuentu. N. pro studente facultatis. N. vos deputo, & aßigno, sub obedientia nostræ sacræ religionis & ministri dicti cõuẽtus Christo Dño humiliter seruiturũ. Valeat hæc licencia vsq; ad capitulũ proxime venturũ. Datis. &c.

FORMA LICENCIANDI fratres de cõuentu ad conuentum. Caput. XV.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. Positis in causis vestris, quæ vos ad conuentum. N. debere accedere iuste cõpellunt, vt negotia dictarũ causarũ vobis opportuna explere valeatis, vobis eundi licenciam concedo, præsentiũ tenore terminũ ibi cõmorandũ per. N. vobis aßignãs. Valete. &c

FORMA LICENCIANDI aliquem fratrem ad visitandos parentes. Caput. XVI.

IN Dei sibi charißimo fratri. N. ordinis Sanctißimæ Trinitatis & Redemptionis captiuorum, Subdiacono, vel Diacono, vel Sacerdoti; ego frater. N. Prouincialis, vel Minister, salutem & itineris prosperitatem, cum obcertas

vestras nescessitates, & rationabiles causas, sit vobis nescessariū parentes & consanguineos vestros visitare, à me humiliter licenciam petiuistis, ad eos proficiscendi. Ea propter vestris moribus laudabilibus exigentibus & nescessitatibus vestris compatiens, petitioni vestræ annuendum duxi. Vnde harum tenore Dei & ordinis benedictione concedo vobis liberam facultatem & licenciam eundi ad talem ciuitatem, vel locum, & ibi morandi per mensem, vel quindecim dies rogans omnes & singulos conuentuum præsidentes, ad quos vos declinare cōtigerit, quatenus vos benigne recipiant, & charitatiue per tractent. In quorum fide sigillum officij mei duxi præsentibus apponendum. Datū. &c.

FORMA LICENCIANDI fratres vt ad arctiorem ordinem poſsint tranſmigrare. Cap. XVII.

IN Christo &c. Instanti petitione à me postulatis vt vobis impartiri debeam licenciā ad arctiorem posse transire ordinem, siue regulam. Cum igitur meæ sit intētionis ad fruges altioris meriti & obseruantiæ regularis Christo Deo seruire, volentes faborabiliter persequi, nullo modo volui vos ab hac vestra bona intentione ammouere. Et licet quilibet permanere debeat in ea vocatione, qua à Deo vocatus est. Tamen qui spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, nec à lege arctantur. Quia vbi Spiritus Dei est ibi libertas. Si igitur Spiritu Dei ducimini vt transire debeatis

beatis à voto vestræ primæ professionis, ad arctiorem regulā (vt profitemini) in eādemq́; arctiora seruare proposuistis, propter vestræ salutis maius meritum, contra Spiritum Dei altißimi me opponere nolo. Ea propter petitioni vestræ beniuolo affectu condescēdens, quantum mea interest & in potestate mea consistit, omnimodo & forma quibus debeo & possum sine offensione iuris vobis liberam licenciam præsentium tenore tribuo, & concedo, quod transmigrare; atq́; transire ad ordinem & regulam arctiorem valeatis: atq́; in eodem profiteri, secūdum dispositionem & ordinationem regulæ, & consuetudines dicti ordinis retinens in me istū mediū, donec ipsi ordini ad quem transitum feceritis per professionem fueritis alligati, quam nunc habeo super vos iuridicam potestatem. In cuius licenciæ plenariæ concessiouis robur, & testimonium. &c.

FORMA CONFIRmandi Priorissam Cap. XVIII.

IN CHRISTO DEI *filiæ sorori. N. atq́; cæteris sororibus monasterij Sanctæ. N. sub cura, habitu & institutionibus ordinis Sanctæ Trinitatis & redemptionis captiuorū, frater N. Prouincialis, salutē in Dño cū fœlicitate æternitatis sempiterna, decretū vestæ electionis, quod de sorore. N. fecistis recepi per vos mihi destinatū. Habita itaq́;*

itaq; examinatione super cōtentis in eodem reperi vestrā electionem quam de præmissa sorore. N. fecistis fuisse rite & canonice celebratam, iuxta formam iuris, ea propter considerata sufficientia & idoneitate prædictæ sororis sic electæ, ad vos & monasterium vestrum regendum & gubernandum, ipsam sororem vestram, vestriq; Monasterij Priorissam, rectricem & gubernatricem diligenti prouidentia præfeci, institui, dedi atq; confirmaui, conferens eidem administrationem & gubernationem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, quam habere debent priorissæ nostri ordinis, præsentiū tenore ac etiam in præmisso tenore prædictam sororem. N. in vestram vestriq; monasterij priorissam instituo, præficio, do & confirmo cum prædictis autoritatibus administrandi, & gubernandi ac regendi ex præmissis significatis, mandans vobis, ac vestram charitatē & in Domino IesuChristo cohortans, vt dictæ priorissæ vestræ, ad preces supplicatorias vestras sic confirmatæ, humiliter & deuote, vt filiæ obedientiæ vere pareatis, & parere debeatis, prompta qua debetis obedientia, attendentes suis monitis salutaribus, & dictæ Priorissæ vestræ obedientiæ cædat ad subleuamen in laboribus suis cum supportatione opportuna & vobis perueniat, cum merito ad præmium sempiternum. Datum. &c.

FORMA RECIPIENDI aliquem ad suffragia & beneficia ordinis. Caput. XIX.

Nobili

NOBILI &c. Frater.N. Prouincialis illius attendens misericordiam copiosam, qui fidem et deuotionem postulantium respicit, & haberi qui bene concessis, vtitur, vt abũdet, dat dona gratiæ amplioris, autoritate mei iniuncti prouincialatus officij vos exigente vestræ deuotionis affectu, quam ad nostrum habetis ordinem, ad beneficia missarum, orationum, prædicationum, ieiuniorum vigiliarum, abstinentiarum & aliarum austeritatum, & etiam laborum quos itinerantes pro captiuorum redemptione patiuntur, & omniũ meritorum spiritualium quæ (Dei iuuante gratia) fecerit tota prouincia nostra, & fratres omnis nostræ prouinciæ recipio, & de ipsis præmissis meritis & bonis participem facio vitæ omniũ fratrum, concedens & volens vt in obitu vestro & funere, pro vobis fiat, sicut pro fratribus nostri ordinis fieri consueuit, in cuius concessionis testimoniuũ sigillum nostræ prouinciæ iussi præsenti bus apponendum. Datis. &c.

FORMA RESTITVENDI fratrem aliquem ad gratias ordinis quibus fuerat propter scelera priuatus. Cap. XX.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. iuxta regulas iuris sicut peccati venia non datur nisi correcto: ita correcto dari debet indulgentiæ venia, & iura proniora sunt ad parcendum quam ad vlciscendum, seu puniendum. Cum igitur pœnas vobis illatas pro apostasia vestra, vel pro tali delicto,

propter quod priuatus fuisti gratijs ordinis, sustinueris humiliter & patienter & ignoscendo, siue puniendo totū bene sit (dummodo vita hominis corrigatur videarisq; correctus & emendatus esse) sicut pœnitentes in sua pœnitentia restituuntur ad gratiam quam antea perdiderant per culpam, considerans pœnitentiam tuam, & gemitum doloris quem habuisti ex culpa tua: autoritate mei officij te ad gratias omnes & singulas ordinis restituo & restitutū te esse volo tenore præsentium.

FORMA LICENCIANDI fratrem ad ordines recipiendos Caput. XXI.

IN Dei filio sibi charissimo fratri. N. conuentus. N. ordinis sanctissimæ Trinitatis & redemptionis captiuorum: quia ad sacros promoueri non debent (secundum iura) nisi personæ idoneæ vita, sciētia & ætate ligitima approbatæ: Ideo vestris exigentibus meritis & laudabili conuersatione, tenore præsentium concedo vobis liberam facultatem accedendi ad quemcunq; reuerendissimum Dominū Archiepiscopum, Episcopum, gratiam & cōmunionem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ habentē & suscipiendum ab eius dominatione ordinem. N. fidele de vobis perhibēs testimonium quod in vita & scientia, ac ætate legitima, quātū humana patitur fragilitas, idonei estis ad præfatum ordinem suscipiēdum: rogans nihilominus eundē reuerēdissimū Dominū Episcopū, ad cuius dominationē vos præsentabitis, quatenus pro reuerētia sanctæ sedis Apostolicæ, quæ tales

nobis

nobis præsentandi ad ordines suscipiendos facultatem concessit & pro amore ordinis vos sic præsentatos benignè ordinare dignetur. Omnes nihilominus & singulos præsidentes conuentuū, ad quos declinaueritis, rogans quatenus vos benigne recipiant, & charitatiue pertractent. In quorum fidem. & c. Vt supra.

FORMA LITERAE testimonialis de assignatione fratris in aliquo cōuentu, Cap. XXII.

IN Dei filio & c. Vt sup. Cum per cōstitutiones nostras cautum sit, ne fratres itinerātes multū temporis vagabundi discurrāt, & in præsentiarum per assignationē capituli nostri prouincialis. N. fueris assignatus in conuentu. N. ne inobediens cōstitutionibus nostris & profugus sine literis testimonialibus videaris, harum tenore de vestra assignatione fidē faciens, do vobis licenciam eundi ad dictum conuentum secundū assignationē de nobis factā, rogans omnes & singulos. & c. Vt supra.

FORMA LICENCIANdi aliquem ad aliquam prædicationem. Caput. XXIII.

IN Dei filio sibi Charissimo. & c. Vt supra. Cū ordo noster ab initio ad redemptionem Captiuorum & animarum salutem fuerit institutus, ac similiter ad prædicationē & Diuini seminis sparsionem, & ad id fratres operā debēt impende-

impendere efficacem, vt proximorum saluti poßint esse vtiles acquirendo fidelium eleemosynas & bona Christianis captiuis subuenire. Vos de cuius moribus & scientia ac idoneitate bene proponendi verbũ Dei certus sum, ad instantiam communitatis, & hominum talis terræ qui à me idoneum prædicatorẽ petierunt pro futura Quadragesima, velut pro captiuis procurandũ & ad laudem ac honorẽ Dei omnipotentis & nostri ordinis dilatandum, in eorum præsentatione ac procuratione & expeditione deputo in prædicatorem, rogans vos ac plurimum in Domino exortans, quatenus tanquam vir Euangelicus, in omnibus vos exhibeatis exemplar, & in sana doctrina populũ instruere velitis ac fideliter captiuos & eleemosynas eorum tractetis: quatenus ad Dei & ordinis laudem & animarum multarum salutem cum bona omniũ ædificatione post expletum vobis commissum redire positis, quod absq; dubio credo facietis.

FORMA GENERALIS absolutionis quæ fit in capitulo. Cap. XXIIII.

QVANDO facienda est generalis absolutio in cap. vel choro fratres omnes se prosternãt, & dicto confiteor & misereatur, surgat Pater noster Prouincialis, vel Minister solus & dicat si tenemini aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis excomunicationis, suspensionis aut interdicti, in quantum se extendunt gratiæ et priuilegia ordinis nostri mihi cõmissa, vobis concessa

concessa autoritate, ego absoluo vos, & restituo vos sacro sanctis sacramentis Ecclesiæ, communioni & vnitati fidelium. In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Itē eādem autoritate ego dispenso vbicumq; super irregularitate vel irregularitatibus, si quam, vel si quas contraxistis, & habilito vos executioni ordinum & officiorum vestrorū. Item eādem autoritate ego absoluo vos ab omni transgressione regulæ & constitutionum, ordinationum & admonitionum & ab omni pœnitentia oblita & neglecta, & maxime à pœna quam debent propter fractionem silentij, & ab omnibus alijs, de quibus consueuit fieri absolutio in cōsilibus capitulis, vt sitis absoluti hic & ante tribunal Domini nostri Iesu Christi: habeatisq; vitam æternam & viuatis in secula seculorum. Amen. Postea iniungat pœnitētiam ad arbitrium suum.

FORMA INSTITVENDI Magistrum nouitiorum. Cap. XXV.

IN Christo sibi dilecto fratri. N. Quia de nouitijs instruendis & educandis, tam in officio diuino quam in moribus & obseruantijs regularibus ordinis solicita est adhibēda cura, vt ordinis nostri cōstitutiones disponunt & inducunt. Ideo Magister idoneus ad prædictorum doctrinam est ipsis nouitijs deputādus. Et quia recollectus es in bonis & honestis virtutum moribus aptus ad nouitiorum instructionem atq; ipsorum educationem, in his quæ vtilia sunt ipsis, vt vobis proueniat æternæ

salutis meritum, vos in magistrum nouitiorum conuentus. N. dipato, pariter & assigno, vobis libere concedens eam autoritatem, quæ in opportuna educatione & correctione ipsorum nouitiorum est necessaria, atq; vestram sessionem in Choro, Refectorio, & alijs locis super omnes Sacerdotes non prædicatores, vel senes assigno. Valete. &c.

DE RECEPTIONE reuerendissimi Patris Generalis, vel Prouincialis. Cap. XXVI.

QVANDO Reuerendus admodũ Pater Noster Prouincialis ad monasterium nostrum aduenerit, cognito prius eius aduentu fratres expectent eum ordinatim in processione ad portam. Cum autem intrauerint inclinabuntur, vel prostrabuntur: & Pater Minister, vel qui præfuerit aspergat eum aqua benedicta: quo facto, incipiat tenens chorum psalmum lætatus sum, & sic cum processione ducunt ipsum ad maius altare: qui genu flexo dicet orationẽ secretam. Conuentus iterum perficiat ipsum cum Gloria Patri, & Kyrie eleyson & Pater noster. Patre Ministro dicente & ne nos inducas in tentationem. Vers. Saluũ fac: Domine exaudi, & Dominus vobiscũ, & collectã: prætende Domine famulo tuo dexteram cœlestis auxilij, vt toto corde te per quirat, & quæ digne postulat assequatur, per Christum. Quo dicto, ei omnes manus osculentur.

Quali-

QVALITER RECIPI debet Rex, & Princeps, vel regina, & Epiſcopus proprius, ſeu legatus apoſtolicus. Cap. XXVII.

CVM cognitus fuerit Aduentus regis, ſeu Principis, ante altaris maioris gradus paretur ſtratum coopertum tapete, vel panno ſerico. Et coram ſede crux ponatur. Cum res ad portam appropinquauerit, campanæ pulſentur. Ordinati tunc fratres in Eccleſia proceſſionaliter exeant extra Eccleſiæ fores, accolitis præcedentibus cum candelis incenſis & candelabris portatorijs, ſubdiacono cum cruce in albis & dalmaticis. Pater Miniſter vel alius cui ipſe iuſſerit indutus ſuperpellicco, & cappa ſolenni, ſtabit in principio proceſſionis cũ Diacono. Intrante Rege vel principe, dicat cantor Reſponſum, tua eſt potentia tuum regnum. Præcedentibus accolitis & ſubdiacono cum cruce, cæteri in proceſſione intrabunt Eccleſiam. Cum vero Rex, vel Princeps accedit ad ſtratum vbi crux parata eſt ibi proſternitur ad adorandã crucem: & Pater Miniſter vel qui indutus eſt, crucẽ illam reuerẽter accip[illegible] porrigat Regi, vel Reginæ vel principi ad oſculandum. Reſponſo vero finito, Rege manente proſtrato Sacerdos indutus dicit ſuper illũ. Ver. Deus iudiciũ tuũ regi da, et iuſtitiã tuã. & c. Verſ. Dñe ſaluũ fac regẽ. & c. Dñe exaudi. & c.

Dominus vobiscum, cum oratione Deus cui omnis potestas & dignitas famulatur da huic famulo tuo regi nostro prosperum suæ dignitatis effectum, vt te semper tibiq; iugiter placere valeat. Per Christum Dominum nostrum. Dicto Amen, accedat Pater Minister, & cæteri in suo ordine & osculentur manus eius, & reuertantur ad sacristiam. Sed si regina ad monasterium nostrum venerit, modo prædicto recipiatur cum Responso, dilexisti iustitiam. & c. Et Sacerdos dicat. Vers. Saluam fac ancillam, cum versu mitte ei Domine auxilium. & c. Domine exaudi, Dominus vobiscum, cũ oratione, omnipotens & clementissime Deus qui matrem tuam in terris præelegisti, & eam in cœli palatio reginam constituisti, ita digneris reginã nostram. N. ad tuam Ecclesiam concurrentem insignitam signaculo sanctæ Trinitatis tibi adhærere, tibiq; Deo viuo & vero seruire, vt tua misericordia interueniente demisso regno terrenali cœlestis regni facias illã esse consortem, qui viuis & regnas & c. Cum autem Episcopus proprius, seu legatus Apostolicus ad monasterium nostrum venerit ordine prædicto recipiatur: cantando Responsum ecce sacerdos magnus. Vers. Saluum fac seruum. Et Vers. Mitte ei Domine auxilium de sancto, Domine exaudi, Dominus vobiscum, cum oratione, Deus omnium fidelium pastor & Rector famulum tuum. N. quem pastorem. & c. Et Rectorem.

FRATRIS DIDACI DE Auila ordinis Sanctissimæ Trinitatis, filij Domus Hispalensis, Hendecasyllabō, Sapphicum, Pentametrum, Dicolos, Tetrastrophos.

(:)

IN ratis ligno variè ligatus
funibus diris sapiens Vlysses
perfidas fallit tumido disertus
æquore Circes.

Fallit horrendum sceleris furorem,
mortis infandum rigidæ venenum,
impias fraudes, rapidi minantes
gurgitis iras.

Perfidas turpis cupiens phalanges
Dæmonis telo superare forti
& leues hostis rigidi sagittas
frangere tutus:

Perlegas hortor validis reuinctus
dogmatis velox monitum cathenis.
o miser nostras fugiens inerti
corde loquellas.

INCIPIT ORDINARIVM DIVInorum officiorum, secundum consuetudinem fratrum ordinis Sanctissimæ Trinitatis, de redemptione captiuorum.

QVOMODO ADORnentur altaria diebus festiuis & ferialibus. Cap. I.

IN Monasterijs nostris sacrista debet habere maximam diligentiam circa decorem altarium, vt nulla turpitudo nec immunditia in eisdem videri, nec notari posſit. Vt impleatur illud psalmistæ, dilexi decorem domus tuæ, & altaria tua virtutum, rex meus & Deus meus. Ideo in festis totis duplicibus, optimis: festis vero duplicibus, melioribus: tertijs autē duplicibus, mediocribus: festis vero nouem lectionum, minus festiuis. Sed ferialibus diebus, adminus ornamentis seu paramentis albis altaria cooperiantur, (prout facultas permiserit) maius autem altare semper honestiore apparatu adornetur. Sed in dextera parte semper habeat pannum album ad nares mūdādas, & manus tergendas, ne maculæ fiāt in vestibus sacris spurcitia manuū seu nariū. Et similiter alia altaria habeant eosdem pannos pro simili nescesſitate. Sacrista vero habeat curā mutādi ea, quæ mutanda erunt, scilicet, manu tergia

tergia quæ in altaribus sunt: & dico manu tergia, quæ sunt in sacristia. Unum pro sacerdotibus, alterum pro seruitoribus altarium, & ipse debet habere calices, & tunicas eorum qualibet hebdamada mutare. In quolibet altari debet esse vnum altare portatile (si stabile non est) & vnum corporale cum duabus pallijs: prima pro ipsis corporalibus conseruandis ne maculentur seu male tractentur, secunda vero pro danda pace. Sed cauendũ est ne palleæ seu panni qui cultui diuino sunt deputati, portentur ad vsus humanos seu communes & exteriores. Corporalia autem & palleæ altaris, & sacræ vestes à sacrista & socijs eius in albis seu superpellicijs lauentur in claustro, seu alias cum honestate. Et spurcitiæ earum mittantur in piscinam, seu alias vbi non conculcentur à transeuntibus. Alia autem paramenta possunt ab alijs lauari. Sed quando altaria præparantur, semper fiat cũ reuerẽtia. Qui gradus altaris ascendere debet, semper induatur superpellicio cum reuerentia: & nõ multiplicãdo verba extra necessaria, & similiter fiat quãdo hostiæ fuerint, seu panes decoquẽtur pro missis celebrãdis. Quia eodem modo qui faciunt eas, debet esse in eisdem vestibus & verbis honestis & necessarijs. Sed aduotandum est, quod si facultas hoc permiserit, semper paramenta seu frontalia altaris sint eiusdem coloris, cuius sunt vestimenta Ministrorum altaris, secundum differentiam festiuitatum.

QVOMODO INDVANtur Ministri altaris diuersis coloribus, secundum festiuitatum & dierum differentiam. Cap. II.

IN FRA scriptis coloribus vtentur fratres nostri in monasterijs nostris, secundū differentias dierum & festiuitatum. Dominicis diebus & ferijs aduentus Domini, & à septuagesima vsq; ad quartam dominicā in quadragesima, & festo Natiuitatis & Resurrectionis Domini, & dominicis diebus à Resurrectione vsq; ad ascensionem Domini, & festo sanctæ Trinitatis, & festiuitatibus beatæ Mariæ, & in Missis votiuis de ea, & festo trāsfigurationis Domini, & festo Beati Ioannis euangelistæ, & in natiuitate Beati Ioannis Baptistæ, & festiuitatibus omnium angelorum, & virginum, & in festo omnium Sanctorum, & in dedicatione Ecclesiæ vtantur albis ornamentis melioribus aut deterioribus, secundum differentiam & dignitatem festiuitatum. In festo autem Circuncisionis; & Epiphaniæ, & die martyrij apostolorum, & Euangelistarum, & martyrum, & in festiuitate Ascensionis Domini, & corporis Christi, & Sancti Ioannis ante portam latinā, & in festiuitatibus sanctæ Crucis, vtantur Ministri altaris vestibus rubeis (vt supra dictum est) secundum differentiam & dignitatem festiuitatum. Festis autem confessorum vtantur Ministri altaris ornamentis pallidis: festis vero continentium vtantur Ministri altaris ornamentis griseis. Festo vero Innocentium prima die (nisi fuerit dominica) & à dominica in passione vsq; ad sextam feriam in Parasceue, tam Dominica quam ferijs, & in Missis pro defunctis vtantur vestibus nigris. Sed Diaconus & Subdiaconus in diebus ferialibus per totum annum, & in Missis de vigilijs Sanctorum, & in Letanijs nunquam vtantur dal-

maticis

maticis nigris, ſed tantum in albis ſtolla ſeu manipulo erūt. Dominicis autem ab octauis Epiphaniæ vſq; ad ſeptuageſimam, & à dominica poſt octauas Trinitatis vſq; ad aduentum Domini, & feſtis conuerſionis Sancti Pauli, & Cathedræ & vinculorum Sancti Petri vtantur Miniſtri altaris veſtibus viridibus, eiſdem autē coloribus adornentur altaria in frontalibus, iuxtà colorem ornamentorum Miniſtrorum altaris: ſi facultas monaſteriorum ad hoc ſufficit, alioquin fiat poßibile.

DE VESPERIS, ET de modo pulſandi ad horas. Cap. III.

VESPERAE ſecundùm morem antiquum inter ſecundam & tertiam horā ſolent cantari, ad quas ſecunda hora pulſabitur: verum in feſtiuitatibus totius duplicis, erit prima pulſatio per tale ſpacium, in quo poßint dici ſeptem pſalmi pœnitentiales, prima autem pulſatio & ſecūda feſti duplicis, erit per ſpaciū in quo poſſit dici ter miſerere mei Deus, magis vel minus ſecundum feſtiuitatis ſolennitatem: tertia vero pulſatio totius duplicis, & ſecunda in alijs feſtiuitatibus quæ fit cū minori cymbalo, ſit per ſpacium in quo ſemel poßit dici Miſere mei. Inter primam & ſecundam pulſationē erit ſpacium in quo poßit dici ter Miſerere mei Deus. In feſtiuitatibus totius duplicis Circumciſionis, & Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Transfigurationis Domini, & in Natiuitate, & Purifica-

tione Beatæ Mariæ, in primis & secundis vesperis & matutinis fiet prima pulsatio cum omnibus Cymbalis, secunda autem fiet cum mediocri si fuerint tres campanæ: tertia autem cum minori, si tamen duo tantum fuerint Cymbala, fiet secunda pulsatio cum maiori, tertia autem cũ minori. In festis duplicibus fiet prima pulsatio cum maiori campana, secunda tamen cum mediocri, si fuerint tres campanæ: quãdo non, prima & secunda pulsatio fiet cum maiori Cymbalo. In cæteris autem festiuitatibus, prima cum maiori, secunda vero cum minori fiet campana. Post tertiam pulsabitur ad Missam maiorem quemadmodum pulsatur in prima pulsatione Vesperarum & Matutinarum, cum finita fuerit pulsatio, inuicem fiet quidam sonitus cum campana maiori, vt impulsatione præfatij solet fieri. In vltima vesperarum pulsatione omnes religiosi relictis occupationibus & officijs conuenient in preciosa vel in alto loco conuenienti: sed si aliquis voluerit recedere propter aliquam occupationem debet ibi prælato manifestare, vt de eius fiat consensu. Cum religiosi in chorum ingrediantur, dicãt, ingrediar in domũ domini in longitudine dierum, ad medium chori accedẽtes inclinẽt se humiliter ad altare, & ad prælatum fiat alia inclinatio. Positi fratres in suis sessionibus genibus flexis, crucem facientes, dicent orationem dominicam, & ibi in oratione sistẽt, vsq; dũ prælatus faciat signum: dato signo, surgent, & inclinabũtur, ita vt chorus sit inclinatus cõtra chorũ ad Pater noster, vsq; iterũ detur signũ à prælato vt horæ incipiantur. Ad Deus in adiutoriũ se signãtes cõuertẽtur ad altare, hebdomadarius incipiet in medio chori Deus in adiutoriũ, chori aũt per hebdomadas alternatim officiũ


hebdo

hebdomadarij habebunt. In prima dñica aduētus in qua or do orãdi incipit, officiũ hebdomadarij incipiet à choro dex tro, ſ. ad chorũ prælati; cantores incipient in feſtiuitatibus maioribus ſimul & añas & pſalmos, præter quintã veſperarũ & laudum añam, & nonam matutinarũ, & trium canticorũ, ſci. Magt, benedictus, nunc dimittis; quas añas primo prælatus & hebdomadarius incipient. In minoribus feſtiuitatibus prima aña cantabitur à choro hebdomadarij & in choro altero Pſalmus cãtabitur: ita quod primũ ver ſum chorus hebdomadarij proſequatur, & ſic inuicē Pſalmi & añæ incipiētur ſecũdũ morē adhuc ſeruatũ. Qui ali quid fuerit in choro dicturus vel cãtaturus debet erectus eſſe & reſpiciens ad altare, cum autē finierit ad altare ſe inclinabit, & ad chorum qui verſum proſequetur. Quoties fratres acceſſerint, vel diſceſſerint à pulpito ad altare inclinabũtur. Cũ Pſalmi cãtãtur, chorus cõtra chorũ inclina bitur & fratres inuicē ſedebunt. ſ. ad primũ Pſalmũ chorus hebdomadarij, exceptis totis duplicibus, in quibus hora incipiũtur à choro prælati: quibus diebus omnes ſacerdotes cõmuniter & ſimul ſedebũt. Illi aũt qui nõ ſunt ordinati ordine ſacerdotali, ſtabũt ante pulpitũ verſi ad altaræ, in nulla alia re intendentes niſi in quod cãtatur. Ad capitulum, hymnos, verſiculos, orationes & memorias ſancto rũ in ſedibus ſtantes ad altare vertentur. Ad Magt, ſtabunt omnes extra ſeſſiones capitibus diſcoopertis, chorus contra chorum inclinabitur ad verſiculum quia reſpexit, & quoties cantatur Gloria patri &c. Et ad benedicamus patrem & filiũ cum ſancto Spiritu, & ad ſit nomē dñi benedictum, quando in Pſalmis cantatur: ad Alpha et O, in

hymno


hymno Sanctiſsimæ Trinitatis. Item ad hæc nomina Trinitas, ſanctus, Ieſus, Maria, & ad vltimũ verſiculum vnius cuiuſq; hymni, & ad omnes primas orationes ab oremus vſq; ad per dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ, & ad ſacroſanctæ, & quando benedictio poſtulatur ad aliquid dicendũ, inclinabitur tantũ ille qui petit benedictionem. Cãtabitur autem ſalue vel Antipho. ſecundũ tẽpus flexis genibus, choro aduerſus chorum, quod fiet in omnibus antiphonis dominæ noſtræ. Ad quancunq; antiphonã, vel orationẽ quæ cantetur fratres ſtabunt, à Paſchate vſq; ad diem Pentecoſtes, quo die cantatur hymnus Veni creator, qui ſemper debet flexis genibus cãtari: omnibus iſtis finitis fratres per certũ ſpaciũ tẽporis erũt flexis genibus in meditatione illius horæ ſupradictæ. Si quiſquã frater defuerit abſq; licẽcia à primo Pſalmo officij maioris inclinabitur petẽs veniã in medio chori, vſq; dum prælatus eam, dans ſonitũ, cõcedat: qui vertens ſe ad prælatum, ibit ad ſeſſionem inclinãs ſe ad fratres inter quos debet ſedere, qui etiã inclinabũtur reuerẽter & charitatiue. In dominicis aduẽtus, & quadrageſimæ ad vtraſq; veſperas ad Miſſam & tertiã fratres cappas cum caputijs portabunt, & ad omnes proceſsiones quamuis ſint defunctorum, item quando nouitij Corpus Domini recipiãt. Quicunq; religioſus in choro cantans vel legens in aliquo offenderit. Petens veniam flectat genua, vſq; dum à prælato ſurgendi detur ſignum. Quoties Pater Miniſter ingrediatur in chorum, vel capitulum vel alium quemcunq; locum, omnes religioſi ſurgentes, ad eum inclinabuntur. Si autem ſecũdus (Prælatus abſente Miniſtro) intrauerit, aliquantulum ſurgent.

IN feſtiuitatibus ſolennibus quæ cum cappa ſolent celebrari, facto primo ſigno veſperarum, accoliti cum thuribulario ad ſacriſtiam ſe conferẽt, & ſuperpelliceis veſtiẽtur (ſecundum ſolennitatem feſtiuitatis, & poßibilitatem domus) induti autem hebdomadarium vocabunt, vt veſtiatur, quem ibi induent aßiſtentes. Facto vltimo ſigno, omnes tam accoliti cum thuribulario, quã hebdomadarius debẽt eſſe veſtiti, accoliti vero diligenter incendent candelas, quæ in altari, & candelabris portatorijs ponuntur, ſed finita pulſatione vltimi ſigni, accoliti primo, deinde thuribularius, vltimus vero hebdomadarius ſeruato ordine eggrediẽtes, ibunt vſq; ad locum vbi eſt pulpitum tapete ornatum cum libro, ſacerdos dicet ſubmiſſa voce Pater noſter, quo finito alta voce cantabit Deus in adiutorium meum intende, tono ſequenti.




TVNC accoliti eleuabunt candelabra portatoria, vſq; dum dicatur ſicut erat, ſeq; inclinantes ad ſanctißimum ſacramentum, eodem ordine quo ſunt ingreßi, poſita cappa in ſacriſtia, omnes ſimul ingredientes in chorum & inclinantes in medio chori capita ad ſanctißimum Sacramentum minor fiet ad prælatum humiliatio. Hebdomadarius ſupra omnes ſacerdotes, accoliti vero ſupra omnes nõ ordinatos ordine ſacerdotali locum habebunt. Quando autem

autem capitulum ab hebdomadario fuerit dicendum, in medio chori aßistens tono cantabit sequenti.



CVM autem hymnus cantari incipiatur, accoliti à choro exeuntes, cum candelabris portatorijs in vltima altaris scala aßistent, flectentes genua: qui eleuati dicent versiculum isto tono.



Dicto

DICTO aũt versu accoliti dimittant candelabra in suis locis cũ cādelis accensis, & eant in chorũ vt comitētur sacerdotē, thuribulario expectāte cũ suo thuribulo, et prunis accensis, & incenso parato: vt simul cum sacerdote exeant. Dum autem dicitur versus ab accolitis, cantores imponant Antiphonam Prælato & hebdomadario sicut imposuerunt quintam Antiphonam. Et finito versu, et exultauit, hebdomadarius & accoliti exeant de choro eo ordine quo intrauerũt eũdēq; ad sacristiã, & induta cappa vt antea erat: exeat cũ ministris hoc ordine, vt præeant accoliti cum cādelabris: et sequatur eos thuribularius cum thuribulo, deinde vltimus qui facit officiũ: & fiat thurificatio isto modo. Cũ simul ad altare venerint, inclinētur, et facta inclinatione, positis accolitis altero ad dexterã partem altaris, alter ad sinistrum, medius autem sacerdos sit, thuribularius paulo retro sit declinãs ad dexterã sacerdotis: qui omnes flectēt simul genua, & faciã orationē mutuã & breuem. Facta aũt oratione, accedat thuribularius ad sacerdotē ad dexterã eius cũ genuflexione: offerat sacerdoti nauiculã cũ incēso, et sic manēs sacerdos extēdat manũ super coclear tenēs incēsum, et benedicat illi his verbis. Ab illo sanctificeris, in cuius honore cremaris. Facta aũt bñdictione, surgēs sacerdos ascēdat ad gradus altaris, et cũ superiores gradus ascēderit, faciat profundã inclinationē: interim aũt thuribularius mittat incēsum in thuribulũ, et offerat thuribulũ sacerdoti, quo accepto osculetur manꝰ (si pater Minister fuerit) deinde eleuata cappa à parte dextera vt expeditius posset thurificare: thurificet primo sacramentũ, deinde dexterã partē altaris, postea sacramētũ,

deinde

deinde ſiniſtram partem altaris poſtea ſacramentum:nouiſſime vero thurificet altare à dextra coram ipſo pauimẽto. facta autem thurificatione,& oſculato altari,in directo ſacramenti,& facta inclinatione deſcendant ab altari:et cũ omnes gradus altaris deſcenderint:omnes ſimul inclinent ſe ad altare:& ſimul vadant ad altare vbi pendet imago crucifixi,& ibi fiat ſecũda thurificatio.Tertia autem thurificatio fiat ad altare Beatæ Mariæ: alia altaria(ſi quæ fuerint)non thurificentur niſi in feſto omnium ſanctorum, & in dedicatione Eccleſiæ. Thurificatis vero altaribus ſacerdos thurificet pulpitum vbi eſt liber:deinde thuribularium,nouiſsime vero accolitos. Thuribularius vero accepto thuribulo thurificet ipſum ſacerdotem. Poſtea vadat ad chorum,& facta inclinatione thurificet pulpitum, & ſi pater Miniſter affuerit,eius manus deoſculans, eum thurificet primo cum genuflexione,deinde chorum dextrum, nouiſsime vero chorum ſiniſtrum.Quibus factis reuertatur ad locum vbi eſt pulpitum,vt ſacerdotem cõmitetur. Sacerdos autem finita antiphona de Magt. dicat Dominus vobiſcum oremus & orationem tono ſequenti.




bus




DVM autem dicitur Dominus vobiscum accoliti ele uabunt candelabra portatoria vsq; ad finem orationis. Dicta vero oratione & Dominus vobiscu ab hebdomadario, accoliti dicent benedicamus Domino, secundum festiuitatis solennitatem. His peractis dicetur fidelium animæ & salue Regina, qua finita eodem ordine quo sunt ingressi reuertentur ad sacristiam.


DE COMPLETORIO. Capur. IIII.

AD completorium intrent fratres inchorū ordinatim, sicut ad vesperas; & ille ordo seruetur semper. Quando fratres in Ecclesiam, vel Capitulum, l. refectorium intrant, & cum ad sedes suas venerint, versis vultibus ad altare, dato sonitu à prælato, lector illius hebdomadæ dicat iube done benedicere his notis.




Prælatus autem det benedictionem lectori, ab insidijs ini mici, in illo tono in quo dixit Iube done, & ad istam benedictionē debet esse lector curuatus, dum prælatus dicit ei benedictionem, his notis.






vester, Di a bo lus:tãquã le o ru giens circuit quæ-




rẽs quẽ deuoret cu i re si sti te fortes in fi de.



Tu autem do mi ne mi se re re no stri.


ET responso Deo gratias, dato signo à prælato ad inclinandum dicant Pater noster tantum sicut ad cæteras horas & facto signo ad surgendum, & incipiendum, dicat hebdomadarius in medio chori, conuerte nos Deus in isto tono.





Conuerte nos de us sa lu ta ris no ster.


ET in eodẽ tono debet cõueutus respõdere, & auerte irã tuã à nobis, & hebdomadarius dicat, Deus in adiutorium meũ intẽde plane, in isto tono supra posito tũc in inceptione añarũ, & Psalmorũ: ad cõpletoriũ ille met modus cæremoniæ obseruetur, tã in duplicatione, et triplicatione ante et post psalmos, & numero cãtorũ, et impositione añarũ, sicut ad vesperas, secũdũ differentias festiuitatũ, excepto quod

ad Completorium non fit thurificatio: sed dicta antiphona post Psalmos cantores vel tenentes chorum (secundum quod dies fuerit) intonent hymnum, & illum imponant in illi choro, vbi impositus fuit Psalmus: sed in diebus ieiuniorum lectio, Fratres, quæ aliis diebus dicitur in choro, dicatur eodem modo, & eodem tono, in refectorio ante collationem, sed cum lector veniat in fine lectionis, non dicat tu autem Domine, sed loco eius cantando dicat, benedicite, et prælatus in eodem tono dicat, Largitor omniũ bonorum: et terminata collatione pulsetur secundum signum, & dicto tu autem eant cum silentio ad chorum: dicto autem hymno hebdomadarius dicat Capitulum tono in vesperis supradicto, sed post capitulum dicatur versus & illius responsio eodem tono sicut in vesperis. Quod semper seruari debet in omnibus versibus qui dicũtur ad matutinas in nocturnis, & etiam post hymnum tam ad matutinas, quam ad vesperas. Dicta antiphona post canticũ, Nunc dimittis, incuruatus prælatus dicat, Ego reus & indignus sacerdos cõfiteor Deo: & data absolutione ab eo, dicat hebdomadarius, Dominus vobiscum, oremus, & orationem in isto tono.









ET post Dominus vobiscum, quod dicitur post orationẽ, dicat hebdomadarius, benedicamus Domino isto tono.



ET in eodem tono respondeatur Deo gratias. Et notandũ est, quod iste modus cantandi seruatur in horis, scilicet, prima, tertia, sexta & nona, tam dicendo Deus in adiutoriũ quam in capitulo, & in oratione, & etiã Benedicamus Domino, & in responsione: & dicto Deo gratias dicat prælatus fideliũ animæ, & responso à choro amẽ, & facto signo & dicto pater noster, inclinati, vel prostrati (secũdũ quod tempus postulauerit) cantent salutationem Beatæ Mariæ, & versum secũdũ differentiã temporis cũ oratione, Omnipotens, & in fine eius dicatur per eundẽ, & respondeatur amen. Solus hebdomadarius surgẽs dicat ostẽde nobis Dñe & orationẽ Exaudi, quæ orationes debẽt semper dici ad cõ

pletorium: tunc dato signo à Prælato (stantibus omnibus ordinatim extra sedes) ipse prælatus extra sedem suam incipiat Psalmum Laudate Dominũ omnes gẽtes, totus chorus respõdeat versum sequentẽ, & hoc modo Gloria Patri dicto, dicat prælatus versum, vias tuas Domine demõstra nobis, & Domine exaudi, & Dñs vobiscũ, cũ oratione actiones nostras: cõuentus aũt ad orationẽ erit inclinatus, & terminata oratione per Christũ dominum, & respõso à Conuentu amẽ, dicat Prælatus Benedicite, & cõuentus respõdeat, Dñs, & Prælatus subiungat Dñs nos benedicat. & c. Conuentu inclinato ad istã benedictionẽ & dicto amẽ, omnes in suis sedibus versus altare flexis genibus faciant orationẽ per spaciũ quartæ partis horæ vel aliquid amplius si prælato placuerit. His peractis dato signo, qui sunt sub disciplina magistri nouitiorum & ipse magister eorũ cũ eis ordinatim accedat ad prælatum flexis genibus osculabuntur eius dextrã, accipiendo manu propria sub scapulario manũ Prælati nudã: quo finito omnes de choro eggrediũtur eo modo quo sunt ingressi, exceptis nouitijs & eorũ magistro qui remanẽtes in choro flexis genibus cantare debẽt cõmemorationes de Cruce cũ oratione secũdũ tempus, & oratione de nomine Iesu sub vno per Christũ: postea dicẽt añam Beatæ Mariæ, cũ orationibus de pace, & salute sub vno per Christũ: postea dicãt respõsũ pro defunctis. Sed si pater Minister cõpletorio non affuerit, magister cũ eis qui sub disciplina eius sunt cũ processione dicẽdo, de profundis & miserere, eant ad Patrẽ Ministrum (si in loco honesto sit) & flectentes genua corã ipso vnus illorũ ferens Ysopum dicat voce quæ possit audiri, benedicite, & responso à prælato

Dominus, dicat ille qui dixit prius benedicite, Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & responso ab alijs & salutare tuum da nobis, dicat oremus, & orationem, exaudi nos Dñe sancte pater, & per Christum Dominum nostrum: dicta autem oratione dicat prælatus Adiutorum nostrum in nomine domini, & respondeatur, qui fecit cœlum & terram deinde dicatur à prælato Sit nomen Dñi benedictũ, deinde dicat Psalmum Laudate Dominum omnes gentes, & vias tuas. Dñe demonstra nobis, & orationem actiones nostras, & dicto benedicite à prælato, dicant Nouitij Domi nus: tunc respondeat prælatus Ipse nos benedicat. &c. Et accipiat Ysopum ab eo qui orationem dixit, & aspergat omnes: quo facto Nouitij deosculentur manum prælati, & ad domum nouitiorum ordinatim remeabunt.

IN MATVTINIS QVOmodo habeantur fratres. Cap. V.

O*MNI tempore anni pulsetur ad Matutinas media nocte, eo modo quo supra dictum est. Post primum signum pulsetur ad surgendum cum tabula in dormitorio: paratis autem omnibus vniuersi chorum ingrediẽtur illo ordine quo ad vesperas cum silentio & sine strepitu, & omnibus ad sedes suas peruenientibus, & versus altare flectentibus genua, prælatus dicet trinam orationem, qua fini tã surgant, & dato signo à prælato ad se inclinandũ, dicẽt sub silẽtio Pater noster: postea cũ Pater Minister signũ dederit ad surgẽdũ versis vultibus ad altare, hebdomadarius in medio chori dicat facto signo crucis in ore, Dñe labia aperies isto tono.*



ET responso à conuentu in eodem tono, & os meum, dicat hebdomadarius Deus in adiutorium meum intende eodem tono sicut in vesperis, & conuentus respondeat, Domine ad adiuuandum me festina similiter sicut in vesperis et cum ventum fuerit ad Gloria Patri. & c. cõuertetur: & inclinetur chorus contra chorum vsq; ad sicut erat, & tunc erecti vertant facies ad altare: Notandũ est quod ante matutinas sicut ante omnes alias regulares horas debent dicere Pater noster. Et postquã fratres in chorum intrauerint, nullus præsumat è choro exire absq; licentia expressa prælati. Cum dicitur venite adoremus conuertetur chorus cõtra chorum & inclinent se vsq; dum dicant, nos autẽ populus eius & oues pascuæ eius & tunc erecti iterum ad altare conuertentur & inclinent se ad Gloria Patri vsq; ad sicut erat. In festis quando duo vel quattuor fratres cantãt inuitatoriũ, cũ post Deus in adiutoriũ incipitur Gloria Patri, egrediẽtes è sedibus stẽt in medio Chori ante pulpitum bini & bini: qui cantare debent versus altare inclinentur, & sic inuitatorium incipiant, postea non oportet vt ad singulos versus inclinentur, donec nouissime iterũ inuitatoriũ reincipiãt, & tunc inclinati prius ad altare, deinde ad chorũ, redibunt ad sedes suas: sed qui inuitatoriũ cantauerint incipient hymnum, & antiphonas, & psalmos eo modo sicut ad vesperas. Qui hymnũ incipiunt ad Matutinas, et ad regu-

regulares horas, mox vt incipiunt ad altare se inclinẽt, ad cuius vltimum versum inclinentur fratres, & chorus contra chorum, vsq; dum dicat amen, & tunc erigantur. In festo aũt tertio duplici, vel nouem lectionũ, quicunq; antiphonã inceperit, finito primo versu Psalmi inclinet se ad altare. Sciẽdum autem est, quod illi qui cantauerint inuitatoriũ, debent cantare versus ante lectiones, et dicuntur eodẽ tono sicut dicitur versus post hymnũ in vesperis. Fratres qui ad matutinas surgere debent, si de inferioribus fuerint ante lectionẽ pergentes inclinentur in medio chori, & sic cum grauitate inclinent se versus altare, ad recipiendam benedictionem à prælato. Lectores post datã benedictionẽ non debent statim lectionem incipere, donec tumultus residentium requiescat. Singuli quiq; (excepto Patre Ministro) postquam ibidem legerint inclinentur, minister postquam legerit vltra duas formas versus altare inclinetur de sede. Lector aũt primæ lectionis, in primo, & secundo, & tertio nocturno debet illuminare, & tenere candelam ad legendas lectiones, similiter cum cantatur Benedictus, illemet ponet candelam absconsam & collectarium coram hebdomadario vt orationem dicat. Ad primum psalmum chorus vbi Psalmus incipitur sedeat: alter autem chorus stet eo modo quo dictum est in vesperis. Hos autem Psalmos diuidimus, diligam te, in illo versu cum sancto sanctus eris, & in psalmo, Attẽdite, in illo versu, quotiescunq;, in psalmo, Misericordias, in illo versu, tunc loquutus est, & in cãtico Audite cœli, in illo versu, audiuit Dominus. Ad iubilũ antiphonæ quæ ante versiculum dicitur, omnes conuertentur ad altare: post versiculum & eius responsionem, conuerte-

 tur

tur chorus contra chorũ, prosternẽtur, vel inclinabuntur secundum quod dies fuerit, & post datam benedictionem ad lectionem sedeant. Quando autem Euangelium pronũcia tur stabunt omnes versi ad pulpitum vsq; dicatur & reliqua, & tunc sedebũt, porro in festis tertij duplicis & nouẽ lectionum qui primam lectionem dixit, cantabit versum re sponsi cum illo qui debet cantare secundam lectionem, & qui dixit secundam cantabit versum cum eo qui debet can tare tertiam lectionem: & versum tertij cantabunt, qui cã tauerunt versus secundi & tertij responsi exceptis festis totis duplicibus, & duplicibus quia in illis qui cantauerũt inuitatorium debent cantare versum responsi primi, secũ di, tertijq; nocturni. Pater Minister semper debet dicere nonam lectionem, det ei benedictionem Vicarius, siue heb domadarius non (existente Vicario in choro.) Quando te Deum laudamus non cantur, ad repetitiones vltimi respõ si, post Gloria Patri, conuertentur fratres ad altare, & sic stabunt vsq; ad Gloria Patri post Deus in adiutorium: sed in quadragesima & in aduentu, quando nonum respon sum post Gloria Patri iteratur, non conuertentur fratres ad altare donec finiatur. Quando dicitur versus sacerdo tis, pulsatur maior campana ad Laudes, breuius vel proli xius, secundum quod dies fuerit, infra te Deum laudamus ad Sãctus, Sãctus, inclinabuntur vsq; dũ dicitur pleni sunt cœli & terra. Ad versum te ergo omnes prostrentur, & inter Pascha & Pascha inclinabuntur. Ad in te Domi ne speraui conuertentur ad altare, vsq; ad Gloria Patri. Sed hebdomadarius finito te Deũ dicat ipsum in medio cho ri, voce modulata, siue in tono & eodem loco dicat Deus

in adiutorium ad Laudes plane, sine eleuatione, vel mutatione vocis, sicut ad horas dicitur. In cantico autem benedicite stabunt, & inclinabunt se fratres aduersum Benedicamus patrem & filium vsq; ad finem versus. Sed sciendum est quod ad Matutinas nunquam fit thurificatio (exceptis noctibus Natiuitatis, & Epiphaniæ, ad Euangelia quæ in illis noctibus dicuntur) Post Antiphonam quæ dicitur post psalmum Laudate Dominum de cœlis stent omnes contra altare vsq; ad vltimum versum Hymni: ad illum versum debent esse inclinati vsq; ad amen, quod post Hymnũ dicitur: & hic modus seruatur in omnibus Hymnis. Et ad versiculum qui dicitur post Hymnum iterum vertant facies suas ad altare: sed versus dicatur sicut dicitur ad vesperas. In dicendo Benedictus obseruetur modus qui seruatur ad Magnificat in vesperis secundum quod dies fuerit. Et dicto Benedicamus fiat commemoratio Beati Sebastiani etiam in festis totis duplicibus, & dicto benedicamus, dicat Prælatus fidelium animæ requiescant in pace & omnes inclinentur dicentes Sacro sanctæ vsq; ad finem: quo finito dicant sic inclinati pater noster., & facto signo à prælato flectant genua, & dicant Antiphonam Beatæ Mariæ secundum tempus choro contra chorum existente, cuius versum, & orationem dicet hebdomadarius, qui in fine orationis dicat Per Christum. &c. Et Choro respondente Amen, & facto signo à prælato surgant. Et dicat ipse prælatus Benedicite, inclinati respondeant Dominus, & prælatus dicat Dominus nos benedicat. &c. Tunc dicant Responsum & orationem pro defunctis. Post resquiescant in pace flexis iterum genibus.

vulti-

vultibus versis ad altare orent, donec prælatus signum faciat, quo facto surgant: facta autem inclinatione in medio chori versus altare exeant de choro eo ordine quo intrauerunt, & cum silentio sine strepitu eant ad dormitorium. Sed pulsato primo signo ad primam, infirmi qui sunt in infirmaria, qui possunt dicere officium, dicant matutinas: et qui ex infirmitate non possunt, dicere officium, audiant horas ab infirmario, vel ab eo quem Pater Minister ad hoc deputauerit. Senes aūt qui iacent in hospitio, vel extra, & qui de via venerūt, ista hora, vel ante illam surgant, & dicant Matutinas, taliter quod eant cum conuentu ad primam.

QVALITER MANE surgunt fratres ad primam Cap. VI.

MANE dato primo signo, quod datur ad auroram, ad surgendum, sacrista vel ille cui Prælatus mandauerit, tempore debito, percutiat tabulam pluribus ictibus in dormitorio, vt surgant fratres. Per actis vero corporum nescessitatibus ad secundum signum intrent chorum, eo ordine quo ad matutinas, & sic pulsetur ad primam tertio signo. Nec tardius quam oportet, surgant fratres ad reddendum Deo debitas laudes. Et hoc ordine pulsetur ad primam secundo signo, quod à Kalendis Octobris vsq; ad feriam quintam in cœna Domini. Pulsetur tali hora, ita vt lucente sole fratres in Choro incipiant

incipiant primã. Et à Paschate Resurrectionis vsq ad Kalendas octobris, sic pulsetur secũdum signũ, quod vna hora transacta post ortum solis in choro primã incipiant. Intrantes autem fratres in chorum, cum ad sedes suas venerint prostrati, dicent Credo in Deum. Dato signo ad surgendum inclinati dicãt Pater noster, ante quam dicatur Deus in adiutorium, quod faciendum est in omnibus horis & incepta hora, ad hymnum vertent facies suas ad altare, vsq; ad vltimum versum hymni, ad quem chorus inclinabitur contra chorum vsq; ad amen, quod dicitur in fine versus, & iste modus seruetur in omnibus hymnis. Incepto autem psalmo omnes fratres non sacerdotes non sedebunt: sed stabunt ordine suo coram paruo pulpito in quo erit psalterium ad horas, quando psalmi dicũtur. Isti vero sic stantes obseruent versus psalmorũ, vt non fiat defectus in dicendis psalmis, iste ordo obseruari debet in omnibus horis. Ad quicunq; vult omnes stabunt ad iubilum antiphonæ: post quicunq; vult conuertentur ad altare, vsq; ad iubilum Responsionis versiculi. Dicto versiculo, prælatus dicat Confiteor Deo. Facta absolutione, dicat hebdomadarius Domine Deus Pater omnipotens: in medio chori: sed diebus quibus preces dicuntur, siue octaua simplici agatur, vel de dominica per totum aduentum, vt à septuagesima vsq; ad Pascha sint fratres incliuati ad Kyrie eleyson vsq; ad qui viuis & regnas post orationem: sed confiteor Deo dicitur infra preces loco in libro signato. Hebdomadarius eriget se, & sic stans versus altare dicet preces & orationem. Post benedicamus dicat fidelium animæ more solito & sic finitur prima.

De

DE PRECIOSA ET capitulo. Cap. VII.

ANTIQVVS mos, quo noster ordo vtitur in dicenda preciosa quotidie loco ei determinato, est antiquior et decentior cæremonia, ad emẽdationem & reformationẽ multarũ rerũ, alijs quæ in nostra religione seruantur: vbi prælati diligenter tenentur assistere, accurate videntes quomodo in suis conuentibus viuitur, non permittentes in choro cantari, aptior.n.est ille locus ad orandum quã ad corrigendum. Ibi, qui defuerit à matutinis petet humiliter veniam: vnusquisq; ibi erit sui criminis accusator: ibi circator proclamãs accusabit silentiũ horam violantes. Sacrista etiam eos qui ab Ecclesia defuerint accusabit: ibi publicæ culpæ proclamantur, & corriguntur qui horis non intersunt: ibi desidiosi quotidiani emendantur isto modo, quod quando hebdomadarius finierit vltimum Deus in adiutorium & Kyries, ante quam dicatur Pater noster, omnes submissa voce dicant culpam, choro contra chorum existẽte inclinato. Qui aũt à matutinis defuerint, flectentes genua versus altare ibi sic assistent, vsq; dũ prælatus det sonitum surgendi. Dicta autem culpa, prælatus fratres absoluet, dicens: indulgentiam & c. Tunc vero omnes inclinati Pater noster dicentes, prosequentur, prout docet ordo breuiarij, cum autem dixerint cõmemoratio. & c. Illico circator dicens benedicite, respondente autem prælato dominus, accuset eos qui silentium non seruauerint. Poterit itidem quilibet alius religiosus clamare de defectu publico, quem dignũ esse viderit correctione publica; ita tamẽ quod


quod qui clamauerit æqualis sit reo vel saltim antiquior. Quando aliquis religiosus nomen suum à circatore audierit, vel ab alio clamante, nihil tunc respondeat: sed à suo loco surgens stabit oculis defixis in terram, vsq; dum proclamatio fuerit finita. Si culpatus fuerit in tali acclamatione, petens veniam, flectat genua, suam culpam agnoscens. Si vero fuerit inculpatus, pro se respondeat humilibus verbis, ita vt veritatem non negare videatur. Si autem negauerit, qui clamabit, & quilibet alius religiosus, de illo quod nouit testimonium exhibebit. Hoc omne fiet verbis religiosis & mansuetis, nemini in preciosa, vel in capitulo loqui liceat, nisi prius petens veniam dicat benedicite. Prior erit pœnitentia, ei qui fregerit silētium, si à circatore vel à quolibet accusetur, scilicet, panem & aquam in terra comedet pro secunda autem vice pœnam grauis culpæ sustinebit. Etsi talis religiosus, ante quam de eo acclametur, se accusauerit in preciosa: prælatus cum eo ita se habebit prout ei videbitur. Cum omnes finierint, prælatus vnumquemq; corrigat, secundum quod ei conuenire videbitur, culpa & qualitate personarum cousiderata: & finient cum Laudate dominum omnes gentes: oratio, actiones. &c. Vltra ordinaria capitula quæ singulis hebdomadis fiũt, fiēt duo capitula vnũ in vigilia vigiliæ Natiuitatis Domini, alterũ die martis post Dominicā quinquagesimæ. In istis autem capitulis concionabitur secundum temporis consuetudinem, factoq; capitulo, prior prælatus se accusabit de culpis generalibus, ceteri aũt prosequētur per suas sessiones. Fiat absolutio cēsurarum & irregularitatum: itidem dantur confessoribus pro illa vice casus Ministro reseruati.

De

DE MODO PVLSANDI & dicendi tertiam, sextam & nonam. Cap. VIII.

HORA certa pulsandi ad tertiam propter differẽtiã temporũ, siue officiorũ non potest destinari, sed hoc relinquendum est consilio & discretioni prælati, qui ita omnia cernere debet, vt mensuratis tempore, & officijs Missæ, à die Resurrectionis dominicæ vsq; ad diem mẽsis Augusti, de choro exeant decima hora, exceptis diebus ieiunij & alijs totius anni in quibus exibunt de choro hora undecima. Pulsatio fiat solo maiori Cymbalo: in festiuitatibus totius duplicis, festi duplicis, & in cæteris festiuitatibus pulsetur mediocri, si fuerint tres campanæ, quod si duæ tantum fuerint, semper fiat prima pulsatio cũ maiori: in omnibus autem festiuitatibus quantumcunq; sint solennes, secunda pulsatio fiat minori Cymbalo etiam si sint tres campanæ. In ingressu chori, & sessione fratrũ, in Añis, & psalmis, idem obseruetur sicut in vesperis. Quando incipitur antiphona post psalmos, pulsetur ad missam maiorem modo supradicto: dicta tertia non dicatur fidelium animæ, sed immediate incipiatur missa. Semper dicatur sexta aut nona post missam maiorem mediocri voce à die Resurrectionis Dominicæ, vsq; ad festũ exaltationis sanctæ Crucis: pulsetur ad nonam hora prima post meridiem eodemq; prorsus modo & pulsetur, & dicatur sicut tertia: post primũ signũ pulsetur nolla siue tabula in dormitorio, ad excitandos fratres

tres: at cunctis diebus ieiunij nona dicatur post missam maiorem, cuius pulsatio tunc fiat hora vndecima, his enim diebus sexta cantabitur loco tertiæ immediate ante missam. Et tertia dicetur voce mediocri immediate post preciosam demptis tribus diebus quattuor temporum trinitatis in quibus tertia dicetur immediate ante missam maiorem propter solennitatem hymni Veni creator. At quando in quadragesima dicuntur vesperæ ante prādium, nona dicitur immediate post sextam: cæteris diebus anni, nona dicatur post gratiarum actionem, quæ dicitur post prandium: tunc autem ad nonam pulsatio fiat, quam primum fratres exeăt de refectorio. In fine omnium horarum dicatur responsum cum oratione Pro defunctis. Versus qui dicitur post Respōsum ad tetiam, sextam & nonam Incipi debet à cātoribus eodem pūcto quo finitur responsum à choro, vt patet exemplo hoc.



QVOMODO SE HAbeant fratres in choro quādo fit officium de feria in quadragesima. Cap. IX.

IN *Matutinis quando celebratur festum de feria, trina oratione dicta, immediate surgunt, non dicentes Pater*

 noster.


noster sed immediate incipient Canticum gradum communiter sedentes & incipient cũ psalmo, Ad Dominum cum tribularer clamaui. Sed quinto quoq; Psalmo, dicto Kyrie eleyson, flectent genua: solo hebdomadario ad dicendas orationes surgente & in propria sede stante. Quibus finitis officium Beatæ Marie dicetur, quod isto ordine debet celebrari, quod siue in choro siue extra chorum celebretur ad Psalmos omnes fratres sedeant: stabunt autem ad hymnos, antiphonas et memorias sanctorum Versus altare. Ad orationes autem primas omnium horarum chorus contra chorum inclinabitur. Hebdomadarius dicet omnia, quæ ab eo dicenda sunt in propria sessione. Hoc idem faciet, qui dicturus est versus, qui in choro hebdomadarij dicentur. Cantica (scilicet) & de Magnificat & de Benedictus omnes fratres in suis sedibus stantes dicent. Quicunq;, dum istud officium dicitur, retardatus fuerit, non petet veniam, nisi officium maius præcesserit. Finita oratione Concede nos famulos tuos, suffragia (cuius exordium est Michael Archangele) dicetur, omnibus flexis genibus. Hebdomadarius ad dicendas orationes non surget. Finitis orationibus, dicet etiam sic flexis genibus, orationes officij Beatæ Mariæ (scilicet) infirmitatem. &c. Cum oratione de pace. Tunc dicetur, eodem modo fratribus assistentibus, Psalmus Deus misereatur nostri. &c. Cum propria oratione. Sic etiam flexis genibus dicent Pater noster ad incipiendas maiores Matutinas. Quod fieri debet in omnibus horis. Hebdomadarius, dato signo ad surgendum, dicet in sua sessione stās Domine labia mea aperies, quod cæteris horis ferialibus

obseruari debet. Item tam in Matutinis, quam in cæteris horis de feria, dum dicitur Gloria patri, omnes flectent genua vsq; ad sicut erat. Ad Benedictus & ad Magnificat stabunt omnes in suis sedibus, & chorus contra chorum. Ad preces flectent genua, & sic dicent Psalmū Miserere mei Deus. Hebdomadarius ad dicēdā orationē surget. In omnibus alijs horis hoc idem obseruabitur. Notandum est quod in omnibus ferijs, quæ in alio tempore extra quadragesimam contingunt: non fient istæ prostrationes (excepto in officio Missæ.)

QVALITER SE HAbent fratres ad vigilias defunctorum. Caput. X.

AD VESPERAS ET ad vigilias defunctorum, sedebunt pariter fratres, ad vesperas. Post vltimum Psalmum ad requiem æternam surgent omnes: stabit autem chorus contra chorum quousq; Magnificat cum sua antiphona finiatur. Quam in suis sedibus stantes cantabunt: excepta festiuitate Omniū Sanctorum, tunc enim stabunt extra sedes suas ad Magnificat in medio chori propter tāti festi solēnitatem.

Fiat proſtratio ad Kyrie eleyſon, quod dicetur poſt Antiphonam de Magnificat vſq; ad finem vltimæ orationis, ſolo hebdomadario ſurgente ad dicendum Dominus vobiſcũ, cum oratione. Idem fiet in precibus, quæ dicuntur ad Matutinas poſt repetitionem Antiphonæ de Benedictus. Vigiliæ defunctorum quando in conuentu debẽt dici, ſemper dicantur poſt Matutinas, Completis prius omnibus ad eaſdẽ Matutinas neceſſarijs. Ante quam vigiliæ incipiantur, dicãt fratres Pater noſter, & poſt datum ſignum ſignantes ſe cãtent eas. Quando nouiſsima Antiphona dicitur ante nocturnum, tunc ſurgent omnes, & dicto verſiculo, & eius reſponſione ſine iubilo, iſto tono.



E O D E M *tono dicũtur verſus ad nocturnos tenebrarum, ſtatim proſternentur vel inclinabuntur ſecundum quod dies fuerit: & dicent Pater noſter ſub ſilentio. Dicto Sed libera nos, ſedebũt. Tunc frater qui dicturus eſt primam lectionem ſurget, & verſus altare ſtans alijs ſedẽtibus pronunciabit eam. Deinde poſt reſponſum dicent verſum, quo finito inclinans ſedebit. Tunc ſurget qui ex altera parte ſecundam lectionem eſt dicturus qui ſimiliter idem faciet, idem faciat qui dicturus eſt tertiam. Quando nouem lectiones dicuntur ſurget ad dicendam primam lectionem nouiſsi-*

nouißimus ex parte hebdomadarÿ : deinde vsq; ad vltimã hinc inde alternatim. Sic tamẽ vt nec post diaconũ, sub diaconus, nec post Sacerdotem diaconus ad legendum surgat. Et quia vtrobiq; alternæ vices pro paucitate fratrum seruari non poßunt, differentia tamen seruetur surgentibus ex vtroq; choro ad lectiones legendas siue in sedibus suis: siue in medio chori. Quando in medio chori lectiones dicuntur : finita lectione ante & retro se inclinabunt : & sic reuertentur ad locum suum. Ibi tamen stabunt donec versum dixerint. In festiuis vigilÿs frater ille, qui nonam lectionem legit, finita ea non ibit ad sedem suam, sed ibi stans permanebit, & veniet ad eum vnus ex superioribus ex altera parte, & dicent simul nonum responsum & versum, & que dicenda sunt. Quando solennes non sunt vigiliæ, nonam lectionem versum & responsum dicent (sicut cæteri fratres) in sedibus suis. Quando in repetitione dicitur Dñ Veneris iudicare. Surgent omnes & stabunt versi ad altare vsq; ad psalmos. Si solennes sint vigiliæ, vel corpus tradendum sepulturæ sit presens, omnes lectiones, versus & orationes in medio chori dicentur. Deinde laudes eodem modo sicut vesperæ defunctorum finientur.

QVOMODO RELIgiosi se habeant in Refectorio. Caput. XI.

COMEDENDI HOra tempore veris, immediate pulsabitur post missam maiorem dicta sexta, scilicet, decima hora. Exceptis diebus ieiunij, in quibus pulsabitur ad horam comedendi hora vndecima. Dictis completis ad cœnandum pulsabitur. Tempore autē hyemis, semper ad comedendum pulsabitur hora vndecima. Audita campana comedēdi, vel cœnandi, omnes religiosi ad locum qui de profundis appellatur, venient. Omnes autem qui sub cura magistri nouitiorum sunt, ordine cum suo magistro in dictum locum intrabunt: facta autem ad prælatum inclinatione, vnusquisq; in sua sedebit sessione, secundum antiquitatem. Quilibet autem in hoc loco silentium obseruare tenetur. Dicto Psalmo De profundis (vt mos est) omnes in Refectorium ingredientur. Benedictione autem finita, omnes sedebunt, sessiones suas obtinentes vt in De profundis. Omnes sic sedentes magna cum quiete & sine strepitu, capitibus coopertis: si Euangelium non legatur, expectabunt prælati sonitum, vt incipiat comedere. Prælatus, cum dicatur Et reliqua post Euangelium, factis duabus vel tribus lecturæ pausationibus, sonitū dabit, ad quem religiosi inclinabūtur. Quilibet religiosus qui ad benedictionem non venerit, petat veniam, vt refectorium ingrediatur, & vt sedeat, flexis genibus in medio refectorij dicat Benedicite nec surgat donec detur sonitus à prælato. Si autē ingrediatur, dū legitur Euangelium, stabit, sicut & seruitores, vsq; dum perficiatur. Nemo, quamuis officium obediētiæ habeat, possit sine speciali licentia exire. Quando vero concessam habeat

be et exeundi licẽtiam, stans apud propriam sessionẽ, prius secreto Deo gratias agat: qui se inclinans discooperto exibit capite. In inclinationibus ad benedictionem & gratias, se habebunt, sicut mos est, in cæteris orationibus.

QVOMODO FRATRES se habebunt in ad implendis pœnitentijs in Refectorio. Cap. XII.

VT autem intelligantur pœnitentiæ, quæ in isto paruo cæremoniali continentur, & in cõstitutionibus pronunciantur: notandum est, quod pœnitentiæ quibus communiter vtimur, sunt caroen, disciplina, prostratio panis & aqua, portionis ablatio, vel vini. Carceris pœnitentia magna cum cõsideratione & cõsilio solet exhiberi: disciplina in capitulo, cum aliquo Psalmo interim pronũciato. Prostrationis autem tria sunt genera, ad portã chori, vel refectorij vt omnes religiosi transeat. Quæ pœnitẽtiæ, propter formalem in obedientiã solẽt imponi, vel notabilẽ culpam. Est altera prostratio, quando reus totius corporis extensione & brachijs retẽtis prostratur. Est & aliud prostrationis genus, quando religiosis propter aliquem defectũ flexis genibus esse iubetur. Pœnitẽtia panis & aquæ ĩ medio refectorij flexis genibus solet exiberi, aliquo aquæ vasculo & pane ante posito. Si alicuius portio auferatur absque remissione, vel vinum, non petetur, sed pauperibus tribuetur. Quando vero non dicitur absque remissione, ter portionem humiliter petet, si Prælato videbitur emendatione proposita. Seruitor autem qui eum petierit,

abeat à sessione eius cui pœnitentia tribuitur, cooperto capite, manibus sub scapulario positis. Qui ad prælatum accedens, discooperiens caput, & faciens profundam inclinationem, petet vinum, vel portionem: quod si ei concedatur profunda cum inclinatione osculabitur prælati manũ: reus autem audito nuncio, discooperiat caput, & inclinetur. Quod si extra istas, prælatus aliquam aliam pœnitentiam addiderit, debet esse honesta. Sufficit tamen pro nunc cœremonias supradictas retulisse, cæteras autem & vsus & experientia docent.

QVOMODO SACERdos sit vestiendus, cum sit celebraturus officium missæ, & quomodo se habeat in cæremonijs missæ tacitè pronũciatæ. Cap. XIII.

SACERDOS qui sancta sanctorũ tangere, debet ad celebrandum & offerendum tantum sacrificium, tenetur, de omnibus, quæ ad tantam dignitatem pertinent, specialem curam, assiduam solicitudinem & diligentiam habere. Propriam (scilicet) conscientiã continuo examine, & præparatione solicitando: vt ex se omne crimen, animi caliginem, ingenijq; hæbetudinẽ possit, expellere. At verò, quoniam indecẽs est, nunquam sacerdos vestimentis

stimentis sacris indutus reconciliabit. Contemptibile enim ac inconueniens apparet, ad sancta indumenta, & potissimum ad sacram Casulam non expurgata conscientia, fœdo maculatoq; animo, & absq; diligentijs necessarijs accedere. Cum sacerdos sacris vestimentis fuerit vestiendus, versus & orationes dici solitas deuote & religiose pronunciare tenetur. Pone, scilicet, Domine galeam: vel Psalmū Miserere mei Deus. Cum autem iam vestitus, & prius omnibus consideratis ac prouisis, quæ dicenda sunt, ad Sacrosanctam missam celebrandam, manibus ante pectus iunctis egredietur. Quod si portauerit calicem, ambabus manibus eum tenens exibit, dicens: Laudate Dominum omnes gētes cum Gloria Patri, & versu, Vias tuas Domine. &c. Domine exaudi orationem meā, Oremus, Actiones nostras. &c. Quando autem sacerdos perueniat ad altare, discooperiat calicem, & purificatore mundet ipsum: & accolitus genibus flexis porrigat Sacerdoti ampullam vinariam, quam accipiens & fundens vinum, dicat De latere. &c. Et respōdens accolitus Amen offeret ampullam aquæ, dicens: Benedicite. Deinde sacerdos dicat Dominus & fundēs aquam dicat, commixtio vini & aquæ. &c. In nomine Patris, & accepta patena, & posita supra calicem, accipiat hostiam, quam supra calicem constituat. Calice sic præparato, ad medietatem altaris accedat, & inclinatione facta, eleuatis et iunctis manibus dicat, Intret oratio mea. &c. Cum Aue Maria. Quo finito erectus se signabit: & manibus eleuatis dicet, Sancti spiritus adsit nobis gratia: respondēte accolito Amen, dicat Dignare domine die isto, & responso, Sine peccato nos custodire, dicet Confitemini Domino. &c.

dictoq; versu Quoniam in sæculum, sacerdos prius se inclinans, incipiat, dicens: Ego reus confiteor Deo. Quando autem dixerit & vos fratres orate pro me, respondens accolitus Amen, dicat Misereatur tui. &c. Quo dicente Ad vitam æternam, respondebit sacerdos Amen, eleuans corpus. Accolitus autem inclinatus dicet: Ego peccator vsq; in finem, quo dicēte & te pater orare pro me, respondeat sacerdos Amen. Tunc idem sacerdos dicet indulgentiam, &c. Cum vero dixerit Misericors Dominus: respondeat accolitus Amen. Sed tunc sacerdos dicet Deus tu conuersus, Resp. Et plebs tua. &c. Vers. Ostende nobis. &c. Resp. Et salutare tuum. &c. Vers. Domine exaudi. Resp. Et clamor meus. Vers. Dominus vobiscū. Resp. Et cū spiritu tuo. Oremus. Aufer à nobis quæsumus Domine iniquitates nostras, vt purificatis tibi meritibus mereamur introire ad sancta sanctorum. Per Christum &c. Qua prolata, ascendens ad altare, & illud deosculans dicat: introibo ad altare Dei respondente autē occolito Ad eum qui lætificat. Tunc ex altari crucem accipiens manibus, adoret & deosculetur eam: dicens, Adoramus te Christe, quia per sanctam crucem redemisti mundum. Oremus. Conscientias nostras quæsumus, Domine, visitando purifica, vt veniens Iesus Christus, filius tuus, Dominus noster cum omnibus sanctis, paratam sibi in nobis inueniat mansionem. Qui viuis & regnas. &c. Aperto autem missali, faciat signum crucis in missæ introitu, dicens: Adiutorium nostrum in nomine Domini, Resp. Qui fecit cœlum & terram. Faciens crucem in pectore dicat, Sit nomen Domini & responso Ex hoc nūc, signans se dicat introitum cum versu, & Gloria patri sicut

cut erat: quo dicto, repetat introitum absq; versu. Quod si festiuitas fuerit totius duplicis, triplicabit introitum (prout in choro fieri solet in officio missæ maioris) deinde dicet Kyries ad medium altaris accedens: prætere Gloria in excelsis Deo, si festiuitatis solẽnitas exposcat, manibus eleuatis & seiunctis. Cũ dicat Deo, aliquantulum manus eleuet, eas iungens, & caput inclinans. Idem faciet cũ dicat, Gratias agamus Domino Deo nostro. Quando sacerdos dixerit Tu solus sanctus percutiet pectus: item cum dicat Tu solus altißimus, tu solus Dñs. In fine cum dicat Cum sancto Spiritu, se signabit, istis finitis, faciat crucem in altaris ara: quã Sacerdos osculabitur, ipse tamẽ erectus manibusq; iunctis dicat sic stans: Dominus, & ad populum versus dicet vobiscum manus seiungens. Iunget præterea iterum manus, vertens se ad mediũ altaris, ad partem (scilicet) lateris sinistri. Deinde se inclinans dicet, Oremus, & ad librum accedens dicat orationẽ & epistolam, in cuius fine dicet Deo gratias. Illico alleluya pronunciabit, vel tractum cum versu (prout docet ordo missalis) quem accolitus ad partẽ Euãgelij transmutabit. Interim autem sacerdos in medio altaris inclinatus aliquantulum manus eleuabit: & eas iungens dicet: Iube Doñe benedicere, Dominus sit in corde meo. &c. In nomine Patris & filij. &c. Accedensq; ad librum dicet Dominus vobiscum. Et dato responso (scilicet) & cum spiritu tuo, dicat: Sequentia sancti Euangelij: factaq; in libro cruce, aliam etiam in pectore efficiet. Quando dicat secundum Lucam, responso Gloria tibi Domine, Sacerdos vertens Corpus vsq; ad medium Altaris, se inclinans, eleuansque aliquantulum manus con-

coniunctas, versus ad librum, Euangelium vsq; in finem prosequetur: in fine autem Euangelij crucem in Euangelio supradicto faciet: his verbis, Per sancti Euangelij verbum.&c. Librum vbi est Euangelium deosculans: vel tanget ipsum manu, quam deosculabitur. Iterum autem Sacerdos in medio altaris constitutus dicat Credo in Deum *eàdem cæremonia, qua vsus est in prolatione cantici* Gloria in excelsis.&c. *Quando dixerit* Et homo factus est, *se prostrabit, vel inclinabit (secundum temporis consuetudinem) crucem verò tunc in altari faciet, quam deosculabitur. Cum dixerit* Resurrexit, *surgat, & signet se signo crucis. Quando dixerit* Et vitam venturi sæculi, *dicat se signando* In nomine Patris. &c. *Et cum dixerit* Amen *efficiet crucem in altaris ara, quam deosculans dicet (vt supradictum est)* Dominus vobiscum. *Dicto verò Offertorio, Sacerdos se inclinans, erigensq; coniunctas manus dicet,* Quid retribuam Domino. &c. *Tunc accipiens calicem dicet,* Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. *Ambabus autem manibus calicem tenens aliquantulum eleuatum, dicet:* Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem.&c. *In qua oratione versus cœlum eriget oculos. Hac autem oratione iam dicta, eôdem calice crucem in Ara faciet, dicens,* In nomine Patris. &c. *Accipiensq; patenam, vel pacem ambabus manibus iuxta pedem calicis Crucem faciet, dicens,* In nomine Patris & filij. &c. *Constituetq; pacem in posteriori parte, sicut in radice Calicis, quo facto, linteolo calicem cooperiet. Quo operto, se inclinans, manusq; sursum eleuãs iunctas dicet,* Veni inefabilis.&c. In nomine Patris. &c. *Crucem*

super

super calicem faciendo. Inclinabitur deinde ad altare, & se ad populum vertens per partem lateris dextri populo benedicet his verbis, in vnitate Sancti Spiritus. Præterea vertet se ad partẽ vbi pronunciatur Epistola, vbi proprias manus lauabit dicens, lauabo inter innocẽtes manus meas: accedensq; ad medium altaris, hoc temporis spacio alios duos versus eiusdem Psalmi proferet, cum Gloria Patri in fine. Sacerdos autem sic in medio altaris constitutus inclinabitur, dicens: In Spiritu humilitatis. &c. Et manibus iũctis ad populum versus ad eundem populum dicet, Orate fratres pro me. &c. Manus aperiens. Præterea sacerdos vertet se ad altare versus partem lateris dextri, vbi dicitur Euangelium. Manus autem iungẽs versus ad altare, signo crucis in fronte facto & in pectore, voce submissa dicet: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui etiam respondebit, qui fecit cœlum & terram, sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vsq; &c. Oremus. Deinde manum dexteram eleuans super calicem, tacite etiam orationes dicentur. Si tantum dicenda fuerit vna oratio, in fine eius addet per Dominum nostrum. Quando dixerit per omnia sæcula sæculorum, vocem eleuabit: cui respondebit accolitus amen. Si tamen dicendæ fuerint tres orationes, in prima oratione ab ipso respondebitur Amen. Dictoq; Oremus, illico alias duas dicet sub vno Per Dominum nostrum (secundum ordinem seruatum in primis orationibus, ante Epistolam dictis, quod minus principalis prius dicatur) quando sacerdos dicat per omnia sæcula sæculorum vltimæ orationis, vocem altius proferat, cui respondebit accolitus Amen. Quando protulerit vltimum

per

per Dominum, tanget manu eâdem quam super calicem te net, eundem calicem, ipsam vltimam orationem & propriũ os. Quando verò dixerit Sacerdos Per omnia sæcula sæculo rum, manus super altari positas habebit, vsq; dum dicat Sursum corda: tunc enim crucem in altari faciet & aliam in pectore. Quando dicat Gratias agamus Domino Deo no stro, eâdem cæremonia, qua supra vsus est, fungetur: cum dixit Gloria & Credo. In tota autem præfatione manus e- rectas sursum habebit: cum vero protulerit Vna voce dicē tes, eas iunget, sursum aliquantulum eleuans (prout fecit, quando dixit Gratias agamus) quando dicat Sanctus, toties pectus percutiet, quoties illud proferat. Quando dicat Bene dictus qui venit, erigens corpus se signo crucis signabit. Quo dicto, iunctis manibus inclinabitur, dicens voce submissa, Teigitur. &c. Quando Sacerdos dicat Hæc benedicas, ere ctus tres cruces in calice & hostia faciet, dicens: hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta sacrificia. &c. Deinde manus super altare ponet, vsq; dum Memento Domine dica tur. Aduertēdũ tamen est, quod quādo Sacerdos dicit, An tistite nostro, pro Episcopo Diœcesiano prælato nostro in- telligi debet. Cum dixerit Rege nostro, pro præsenti & exi stente intelligat. Cum dicit Memento Domine &c. Manus iunctas ita in pectore collocet: vt extremitates digitorum proprium os, vel nares tangant. Tunc Sacerdos orare tene tur mentaliter pro viuis. Hoc ordine seruato, quod prius pro se ipso oret, deinde pro statu sacrosanctæ matris Eccle siæ nostriq; ordinis (videlicet) quod Dominus noster eũ cō- seruet & augeat. Secundo pro spiritualibus patribus ora- bit, corporalibus & benefactoribus: tertio verò pro in pec-

catis mortalibus turpem & infamem vitam de gentibus, pro captiuis, peregrinis, nauigantibus & infirmis. Quarto pro infidelibus & hæreticis orabit, à Deo petens, vt ad maternum veræ fidei gremium lumine suæ celsitudinis illustratos ducat & regat. Quinto pro salute & pace: item pro qualibet alia necessitate. Vbi diligenter notabitur, quod quando missa dicatur pro aliqua peculiari persona, immediate pro illa orare tenetur, post quam pro se ipso prius fecerit orationem. Ista memoria facta, manus deuote ponet super altari: quas, cum Cõmunicantes dixerit, eleuabit. Eas autẽ sic elatas habebit, vsq; dum dicat hanc igitur oblationem, quas tunc extendet supra sacrificium. Quando sacerdos dicat quam oblationem, super omni sacrificio manus cõstituet. Cum dicat qui pridie, manibus panem accipiet. Oculos ad cœlum eleuabit, quando eleuatis oculis dicat. Quãdo dixerit Benedixit, pani benedicet. Quem magna cum attentione & intẽtione manibus tenens, dicat accuratè hoc est enim. &c. Dictis his verbis ita se humiliabit, vt genu dextrum in terra flectat. Tunc erectus sanctißimum Sacramentum reuerẽter eleuabit, maiori spacio in descensione quam in eleuatione seruato; nulla autem supra detentio fiat. Deinde verò hostiam supra corporalia collocabit, profundam faciens inclinationem, ita vt corporalia deosculetur, brachijs ad modum crucis positis, & digitis vtriusq; manus coniunctis quos non segregabit, vsq; dum consumpserit corpus & sanguinem (excepto tamen quando sanctißimum Sacrmentum manibus debuerit accipere) inclinatione supradicta facta, calice discooperto, dicat Simili

modo.

modo. Quãdo Sacerdos dicat Accipiens, ambabus manibus calicem aßumat, cui, cum dixerit Benedixit, benedicet ✠ super corporalibus eum constituens, quem manu sinistra tenebit. Præterea facta benedictione, manibus ambabus calicem teneat: dicetq́; consecrationis verba: in quorum prolatione vultum serenum habeat, nullam anhelitu faciet crucem, vel quolibet alio vultus excessu. Dictis consecrationis verbis, linteolum supra calicem statuat, aliam inclinationem faciens, similem illi, quam in descensione hostiæ fecit. Eleuet deinde Sacerdos calicem, dicens: hæc quoties. &c. Quem ita eriget, vt calicis summitas frontis tangat tonsurã. In eleuatione & descensione reuerentia superius dicta seruetur. In descensione autem calicis, Sacerdos antequam eum ponat in altari, eius partem posteriorem & vltimam deosculetur. Quo posito super corporalibus, profunde inclinabitur, ita, vt fecit, antea quam calicem in altum erigeret. Erecto corpore, brachijs extensis dicat, vnde & memores Domine, brachia vero aliquantulum submittat, cum dixerit, tam Beatæ Paßionis. Quando Sacerdos dicat Resurrectionis & in cœlos. &c. Erigat ipsa brachia aliquantulum, ita, vt cæremonia & verba inter se consonent. Quãdo dicat, de tuis donis ac datis, brachia iam habebit iuncta, manus etiam super altari demissas. Quando dicat hostiam puram, manu dextra eleuata faciet tres cruces: primam supra hostiam & sanguinem, itidem secundam faciet, sicut & primam, super corpus tantum: tertiam autem supra calicem. Positis deinde manibus supra sacrificium, dicet: supra quæ propitio. Quibus finitis inclinabitur, manibus ad modum

dum crucis positis dicens, Supplices te rogamus. &c. Quãdo dicat quotquot ex hac altaris participatione, altare osculabitur, manibus ad modum crucis positis in inclinatione. Præterea tres cruces faciet. Primam supra hostiam, cũ dicat, corpus ✠ secundam supra calicem, cum dixerit, & sanguinem ✠ tertiam supra seipsum, quando dicit omni benedictione ✠ Et responso Amen, dicat Memento pro defunctis. Quando dicat, & dormiunt in somno pacis, positis manibus, vt in primo memento, hunc ordinem in obsecratione pro defunctis seruabit (videlicet) quod prius oret pro patribus & cognatis: secundo autem pro persona, pro qua sacrificium est offerendum: tertio pro fratribus & benefactoribus, & generaliter pro omnibus defunctis. Quo facto, manus statuat super altari. Quando Sacerdos dicat Nobis quoq; &c. Semel pectus percutiat. Quãdo dicat cum Ioãne et Stephano erigat manus. Quando in fine istius orationis dicat, Per Christum Dominum nostrum, non dicet Amẽ, sed vlterius progrediatur, dicens Per quem. &c. Tunc autem vtrasq; manus semel supra calicem statuat, iterumq; supra altaris aram. Tres etiam cruces supra calicem & hostiam faciet: ad primam dicens, Sanctificas ✠ ad secũdam Viuificas ✠ ad tertiam Benedicis ✠. Quando dicat Præstes nobis, tollat è calice linteolum, faciens profundam inclinationem: & brachijs ad modum crucis positis, altare (vt dictum est) osculabitur. Ambabus deinde manibus hostiam accipiet, quam super os calicis constituens, manu sinistra posita supra pedem calicis, ne decidat, dextra hostiam tenebit. Post autem eãdem hostia quinq; cruces faciet, tres (scilicet) primas supra calicis os, ita vt prima altius fiat quam

KK *secun*

ſecunda, & ſecũda quam tertia, & ſic gradatim, ſic tamẽ iſtæ cruces fiẽt, quod tertia fiat intra os calicis: in iſta autẽ differentia eleuationis, & deſcenſionis hoſtiæ, vt exceſſus ita ſit ordinatus, vt prima crux fiat conſtituens hoſtiam ſupra os calicis, ſeruata diſtantia vnius manus. Quarta crux ab ore calicis vſq; ad ſe ipſum aliquantulum longior erit, quam extra corporalia non faciat: quinta crux poſt pedem calicis fiet, quæ minor quarta erit. Ponet etiam iterum hoſtiam ſupra os calicis, flexoq; genu dextro in terra, eleuet hoſtiã quantitate vnius manus, magis, vel minus: nullo modo eam ab ore calicis eripiens. At verò quotieſcunq; iſtas cruces fecerit, non auferat manum ſiniſtram à calicis ſummitate, propter eminens periculum. Poſita hoſtia ſuper corporalibus, abſq; inclinatione dicet, Per omnia ſæcula ſæculorũ. Qui dĩ dicat Oremus, vtraſq; manus eriget, vſq; dũ iam dictũ ſit Pater noſter. Reſpondẽte aũt accolito, Sed libera nos à malo: dicat ſacerdos Amẽ Libera nos. & c. Accipiẽs patenã, & nullo modo digitos ſeiungens (vt dictum eſt) eo etiã modo eam habebit, vt nõ ſit ſupra caput. Cũ ſacerdos dicat Petro, ſe cum patena ſignabit, ita, vt quando dicat Da propitius pacem, eam oſculetur. Hac oratione perfecta, poſitaq; in altari patena, tollat linteolũ de calice manu dextra, poſita prius manu ſiniſtra in pede calicis, vt periculũ (prout ſupra dictũ eſt) euitetur. Deinde Sacerdos profundã faciẽs inclinationẽ, manibus ad modũ crucis poſitis, ambabus manibus hoſtiã erigat ſupra os calicis: quã in duas partes diuidet, ex cuius vnica parte particulam aſſumẽs, dicet ſimul, cũ incipit eã diuidere Per Dñm noſtrũ Ieſum. & c. Ita tamẽ, quod quãdo dicat Spiritus ſancti Deus

habeat

habeat iã duplicẽ hostiæ partẽ manu sinistra: particulã au tẽ manu dextra. Tũc dicat Per omnia sæcula sæculorũ: respondente accolito Amen, iterũ dicat Pax Dñi sit semper vobiscũ. Qui supra hostiæ partes cũ particula crucẽ faciẽs dicet, Sit semper, deinde vobiscũ: quibus finitis, particulã manu sinistra accipiet simul cum duabus residuis partibus, percutiẽsq; dextra pectus, dicet Agnus Dei. Quibus finitis iterũ manu dextra sumet particulam, & crucẽ faciens, in calicẽ mittat dicẽs: Hæc sacrosancta cõmixtio: in cuius fine dicet Per Christũ Dñm. &c. Ipse tamen sacerdos respõdẽs Amẽ, deosculabitur hostiã, dicẽs: Pax tibi Christe, & ab accolito cũ osculo accipiens pacem, dicet: Pax tibi frater & Ecclesiæ sanctæ Dei. Respondente accolito, Et cum spiritu tuo, dicet Sacerdos Amen, Oremus, Domine sanctæ pater. &c. Et Domine Iesu Christe. &c. Et perceptio. &c Dicet deinde, Corpus & sanguis. &c. Præterea ter pectus percutiens dicet, Domine non sum dignus. Deuote illico dicat Deus propitius, etiam percutiens pectus. Qui aliquantulum contemplans & meditans sanctißimum Sacramentum, illud ambabus tenens manibus, magna cum reuerentia humiliabitur, abstractisq; oculis à sanctißimo Sacramento dicet, Corpus & sanguis. &c. Quod tunc consumat. Quo facto ambabus manibus calicem sumens, faciẽsq; crucem supra arãm, Cõsumet sanguinem Christi, cum particula hostiæ, quæ intus latet. Dicet (factis istis) hanc orationem, Quod ore sumpsimus. &c. Et orationem repleti Domine muneribus sacris. &c. Dum istæ autem orationes põst communionem dicuntur, fiat lauatoriũ, isto modo, quod sumpto calice ambabus manibus, infundatur ab

accolito vinum in calicem super digitos sacerdotis: qua infusione lauentur digiti, quibus tractatur & tãgitur Sacro sanctum sacramentum. His factis, statim lauentur iterum ijdem digiti sola aqua. Dicat deinde communionem: qua dicta, in medio altaris dicat Dominus vobiscum modo prædicto, deinde Oremus: quo dicto, dicat orationẽ: dicat deinde iterum Dominus vobiscum (vt supra dictum est) respondẽte autem accolito & cum spiritu tuo, dicat Sacerdos Ite missa est, cui accolitus respondebit Deo gratias. Dicat Tũc sacerdos inclinatus manibusq; eleuatis & iunctis, Amen. Placeat tibi sancta trinitas. &c. Dicta hac oratione, dicat flexis genibus, vel stans, secundum tempus, Salue Regina. &c. Ora pro nobis. Facta Deinde cruce in altaris ara, dicat: Sit nomen Domini. &c. Dicto autem oremus, vertat se ad populum, benedicatq; ei, dicens: Benedicat nos diuina Maiestas. Manibus illico simul iunctis vertatur ad altare. Facta vero inclinatione, in sacristiam abeat vnde egressus est, dicens canticum Te Deum laudamus. Et postquam vestes sacras exutus fuerit: flexis genibus coram imagine agat Deo gratias pro tanto & tam magno beneficio.

QVALITER SE HABENT fratres in choro ad missam matutinalem. Cap. XIIII.

IN missa Matutinali eosdem ritus, easdemq; ceremonias fratres obseruabunt, sicut in missa maiori (his exceptis) quod ad collectas, quæ post pri

mam orationem dicuntur, sedeant: vsq; dum dicatur Per Dominum nostrum. &c. Quando dicitur Gloria in excelsis non fient inclinationes, neq; quādo dicitur Et homo factus est prostrabuntur, sed facta inclinatione, manu dextra supra terram facient signum crucis, digitosq; super eam positos deosculabuntur. Postquam responderit, Dignum & iustum est, sedebunt, donec dicatur à sacerdote vna Voce dicentes.

QVALITER SE HABEAT sacerdos in altari ad missam matutinalem. Cap. XV.

SACERDOS, qui hebdomada præterita officiū hebdomadarij exercuit, sequēti dicet missā matutinalem: qui ad eam dicendā è choro exibit quando dicitur versus Pater à nullo est factus. &c. Simul egrediatur cum eo diaconus & subdiaconus cum accolitis. In festis vero nouem lectionū exibunt dicta oratione Domine Deus Pater omnipotens. &c. Qui in altari etiam easdē cæremonias obseruabunt, sicut in missa maiori (solennitate illa de pace cæterisq; solennitatibus, quæ fiunt in festis solennibus, sublatis) in missa Beatæ Mariæ, quæ Sabbato dicitur, & in missa de sacramēto, quæ dicitur omni feria quinta, tantum fiat thurificatio, quando corpus Christi & sanguis eleuatur.

QVO ORDINE FIAT exorcismus salis & aquæ diebus Dominicis, & processio eisdē diebus. Cap. XVI.

OMNI die Dominica, sacrista summo mane in sacristia præparet vrceum cum aqua, & salinum cum sale: & impleat aqua omnes fontes, tã qui sunt in Ecclesia, quam in claustro, & aliâs. Sacerdos autem hebdomadarius missæ primæ indutus alba & manipulo & stolla ante quam casula induatur, faciat exorcismum salis & aquæ. Sed quando exorcismus fit, dexteram desuper teneat. Postquam salem in aquam miserit, & benedictio fuerit completa, sacrista leuet vrceum cum aqua benedicta de sacrario: & infundat desuper illam in omnes fontes, vt venientes de foris, inueniant aquam benedictã. Mixta aqua, & facta benedicta, reddat vrceum in capellam maiorem, & super vrceum habeat præparatum aspersorium. Et dicta tertia, indutus diaconus alba & manipulo & stolla veniat in capellam maiorem. Et incepta Antiphona Asperges, Vel vidi aquã, cum versibus quot sufficiant, diaconus accedat ad altare maius. Et facta inclinatione, aspergat aqua ipsum altare, incipiendo à dextera parte illius. Deinde facta iterum inclinatione, aspergat altare Crucifixi, deinde altare Beatæ Mariæ. Deinde aspergat populum. Facta autem aspersione, cantet orationem Exaudi nos Domine, præmisso versu Ostende nobis, eo tono, quo dicitur Dominus vobiscum, & oratio ad tertiam, & responso Amen, diaconus vadat ad sacristiam: vt cum Sacerdote exeat. In choro autem sit paruus vrceus, & cum in choro incepta fuerit antiphona, statim tenens vice hebdomadarij aspergat fratres ordine infrascripto: si pater Minister præsens aderit, primo omnium aspergatur. Quando autem fit processio, & conuentus descendit ad

capellam, & ibi fit coram illo aſperſorium, fiat hoc modo. Præcedant duo accoliti cum candelabris & candelis accenſis, & ſubdiaconus cum cruce. Ceroferarij ſint induti ſuperpellicijs, & ſtatim conuentus poſt eos. In medio vero miniſtrorum altaris Hebdomadarius tenens locum ſupremum ferensq́; imaginem, vel paruam crucem, tunc ſtantibus omnibus ordine ſuo, tenens chorum, vel cantores, incipiant Aſperges, vel Vidi aquam. Tunc diaconus aſpergat conuentum, deinde populum (ſicut notatum eſt ſupra) finitaq́; repetitione Lauabis. &c. Dicat verſum, & orationem. Et in medio conuentus eat hebdomadarius. Tunc incepto reſponſo ad proceſſionem, & dictis duabus, vel tribus dictionibus de eodem, exeat proceſſio de Capella eo ordine, quo intrauit. Et ſic cum pauſa, vel nota moroſa dicantur reſponſoria, quæ ſufficiant ad omnem proceſſionem. Fiat autem hoc modo: quod cantando idem reſponſum (ſecundum quod dies fuerit.) Dicatur illud, vſque ad verſum. Et prætendatur ſpacium vſq; ad primum angulū. Et facta parua ſtatione, & incepto verſu, vadant ad ſecundum augulum, & ibi finiatur verſus. Et iterum fiat ſtatio parua. Et incepta repetitione verſus, procedant ad tertium angulum: & illic finita & facta etiam ſtatione, reſponſum iterum à principio repetatur. Et facto vt in libro continetur, ſtatim incipiatur Antiphona, vel quod dicendum eſt (prout liber docet) ad intrandum in Eccleſiam. Et notandum eſt, quod nunquam dicimus in proceſſionibus Gloria Patri in Reſponſorijs, quæ in eiſdem cantantur. Cum iterum ad Capellam venerint, etiā illic finiatur illud.

Et statim aliqui, quibus tenens chorũ mandauerit, ascendant ad chorum: vt finita oratione, incipiant introitum ad missam. Finita autem oratione (prout in libro notatum est) exeant de Capella eo ordine quo venerunt. Manentibus autem ministris in sacristia, cæteri vadant ad chorum.

QVO ORDINE FIAT processio in festis totis duplicibus, Caput. XVII.

IN his festis etiam extra Dominicam occurrentibus, idest, Natiuitate Domini, Purificatione Beatæ Virginis, Resurrectione Domini ante missam & post vesperas, tribus diebus Paschatis, prima die Penthecostes, festo sanctæ Trinitatis & corporis Christi, assũptionis etiam Beatæ Virginis, festo Omnium sanctorũ fiat processio isto modo. Postquã aqua aspersa fuerit (si dies dominica sit) incepto responso, præcedant duo accoliti induti albis & dalmaticis, si facultas hoc permiserit. Deinde subdiaconus cum cruce, postea vero sequantur eos duo thurificatores cum thuribulis & nauiculis, qui sigilatim & non simul, per processionem discurrant maturo gressu & decente, à cruce vsq; ad prælatum, & à prælato vsq; ad crucẽ. Et cum ad inuicem se obuiauerint, caueant ne thuribulis fiat aliquis ictus, vel notetur de eis aliqua negligentia. Et etiam isti thurificatores induantur tunicis, & dalmaticis. Post thurificatores exeat conuentus iunior inter iuniores, & senior inter seniores, bini & bini ordine suo. Et semper in processione debet quilibet suum socium aspicere, ne ante

vel

vel retro eum vadat. In medio autem processionis ibunt quattuor cantores, induti superpellicijs & cappis sericeis, & ibunt bini & bini, tenendo medium processionis: incipiẽdo & prosequendo quæ cantanda sunt (prout liber docet) & cantando illi quattuor cantores totum versum respõsi. Et conuentus cantet repetitionem responsi à medio, vt signatum est. Et etiam isti cantores debent excitare fratres ad cantandum. Post cantores vero iuxta hebdomadarium eat diaconus, ferens in manu reliquias, vel quod est consuetudo ferre. Nouissimus autẽ prælatus, vel qui facit officiũ: si autẽ prælatus præsens fuerit, & officiũ non fecerit, ipse sit vltimus omnium. Eadem autem processio fiat (prout in libro adnotatur) sed semper melioribus ornamentis vtantur fratres in his solennitatibus. In festis autem duplicibus (si aliqua fiat processio) sint duo tantum cantores in superpellicijs, qui medium processionis teneant, & etiam vnus thuribularius sufficit.

QVALITER ORDINANDA sit processio, quando de foris processio venerit. Cap. XVIII.

QVANDO autem matrix Ecclesia, vel aliqua parrochia, vel processio aliqua ad nostrũ monasterium venerit, recipiatur isto ordine. Vt præcedat accolitus indutus superpellicio cum aqua benedicta, & duo ceroferarij sicut in festo duplici. Et exeat cõuetus vsq; ad limites monasterij, & vadãt ordinatim (sicut dictum est) cantantes responsoriũ, vt necessitas postularit.

Et si cõsuetudo est, vel à casu occurrerit, quod reliquiæ sanctorum, vel aliqua imago deuota in processione portetur, prouideatur quod duo fratres, vel quot suffecerint ad portandum, induantur honestioribus ornamentis ad portandã eam. Et cantent responsorium in honorem cuius sancti reliquiæ sunt. Et in reditu processionis interferantur cum dominicis. Et si processio exierit de matrice Ecclesia cathedrali, vel collegiali, semper crux nostra sit vltima omnium sed coram ipsa situatur. Ad ingressum autẽ Ecclesiæ sint thurificatores, thurificantes clericos. Si vero aliqua alia processio nõ de Ecclesia matrice ad nos venerit, crux nostra sit vltima omnium. Sed cauẽdum est, ne fiat in ordinatio in eãdem processione propter loca. Sciendum est, quod quando processio de Ecclesia nostra exierit, hic ordo haberi debet in exitu: vt ordine contrario processio nostra ordinetur. Videlicet, quod prælatus sit iuxta limites, & crux iuxta Ecclesiam. Cæteri autem in suo ordine obuiantes processionem eggredictem. Et cum à nobis recesserint, incipiat cãtor Antiphonam Gratias tibi Deus, & terminetur in Ecclesia cum versu, & oratione de Trinitate.

DE PROCESSIONE in rogationibus. Cap. XIX.

IN die sancti Marci, post sextã processio fiat. Et tota letania cãtetur, sicut in vigilia Paschæ & Pẽthecostes. Hac aũt die et feria secũda in rogationibus, sacerdos & ministri altaris post sextã induũt se sacris vestibus. Et eũtes eo ordine, quo notatũ est supra,

tenens chorum incipiat in cantu Antiphonam Exurge, cū versu autem Deus auribus sequitur Gloria Patri. Post repetitionem dicat Hebdomadarius in medio capellæ, vel ante versum Ostende nobis,& orationem Parce. Qua finita, dicatur Antiphona In Hierusalem. Finita Antiphona incipitur Antiphona de sancta Maria, Sancta Maria succurre miseris, versum Post partū, Oratio Gratiā tuā:& responso Amen, dicta collecta, duo sacerdotes in superpelliciis, & procidentes incipiunt letaniā. Sed notandum est, Quod in festo Sancti Marci, tota letania integra dicitur: sed his tribus diebus dicenda est letania, prout liber docet. Scilicet, diuisa per ferias. Cum vero dictum fuerit, Sancta Virgo virginum, exeat processio de capella: & vadat ad claustrum. Et in primo angulo Claustri fit statio. Et illic terminantur nomina Apostolorū:& in secundo angulo fit statio, & terminatur illic nomina Martyrū. In tertio vero similis fit statio, & terminantur illic nomina Confessorū. In quarto, Virginum eodē modo, & dicatur letania mediocriter. Sed taliter, quod audiatur à præcedētibus & à subsequētibus. Dum aūt dicitur Propitius esto, processio redit in Ecclesiā. Ministri igitur altaris mox præparent sacerdoti casulā. Et dicto Agnus Dei, statim incipiatur in choro introitus sine interuallo, vt nulla Antiphona, nec oratio, nec aliud dicatur. Et finita alleluya, sacerdos vadit ad sacristiā & accepta casula, reddit ad altare ad dicēdā missam cum ministris. Feria tamē tertia in rogationibus ad processionē antiphona Exurge, cum Vers. Psal. Deus auribus sequitur Gloria Patri, post repetitionē Amē. Vers. Ostēde, Oratio Parce Domine, statim dicitur Antiphona Cum iocūditate.

Qua

Qua finita, dicitur Antiphona de sancta Maria, O Maria. Dicta vero collecta, sequitur letania. Sed feria quarta fit processio, sicut in feria secunda. Et dicitur deprecamur, postea Antiphona de sancta Maria, Beata progenies: & dicta collecta, sequitur letania.

QVOMODO SE HABEANT FRATRES IN CHORO AD MISSAM MAIOREM. Cap. XX.

OMNES religiosi profunda cum inclinatione ad officium cantandum in missæ introitu accedent. Quod cantores incipient, vnus, vel duo, vel plures secundum festi solennitatem. Si celebretur missa sanctissimæ Trinitatis, vel Beatæ Mariæ, Salue sancta Parens, ad duas, vel tres partes introitus, omnes flectent genua quotiescunq; dicatur. Inclinabuntur aũt inter vtrumq; Pascha. Notandum tamẽ valde est, quod in festis totis duplicibus, introitus ad missã maiorẽ triplicatur, isto modo: primo dicitur cum nota voce submissa, & dicto versu, in eãdem voce statim introitus à principio reincipitur, & totus etiã in eãdem voce cãtatur; dicto eodem introitu integro, statim Gloria Patri altiori voce cantetur, quapræcãtata tertio ĩtroitus repetatur, cõformiter tono de Gloria et per cãtatur totus, alijs aũt diebus nũquã triplicatur, sed solũ dicatur secũdũ differẽtiã dierũ. Cũ dicat sacerdos Gloria in excelsis Deo, omnes stabũt in suis sedibus versus altare. Cum dicatur et in terra, extra sedes suas stabit chorus contra chorum. Ad Gratias agamus tibi, inclinabuntur,

hoc

hoc etiam facient, ad, Tu solus sanctus, & ad Tu solus altißimus Iesu Christe cum sancto spiritu. Ad Dominus vobiscum in sedibus stabunt versus altare. Cum dicatur, Oremus, inclinabitur chorus contra chorum vsq; ad finem orationis: quod si aliæ orationis dicantur, eleuabuntur & ad altare conuertentur. Ad Epistolam, omnes communiter sedebunt, item ad tractum, nisi omnes eum cantēt. Dicta Epistola cantores facientes inclinationem in medio chori ad altare: ad prælatum & ad fratrem antiquiorem inclinabuntur, eis alleluya imponentes, vel tractum, secundum tēpus. Si Prælatus dicat, alleluya, vel tractum, stabunt in sedibus versus altare, aliter enim sedebunt. Ad Gloria tibi Domine Euangelij signo crucis se signabunt. Dum vero Euangelium, præfatio, & Pater noster dicūtur, stabunt fratres versus altare, in sedibus, suis, discoopertis capitibus. Ad Credo, stabunt in sedibus, incipientibus autem cantoribus, Patrem omnipotentem omnes ad pulpitum accedent. Si Credo non dicatur, dicatur, verso choro contra chorum extra sedes. Quando dicatur ex Maria virgine inclinabūtur fratres. Dicentibus cantoribus & homo factus est; omnes prostrabuntur: qui omnes signum crucis facientes terram osculentur. Quando chorus dicat crucifixus &c. qui cantauerunt & homo factus est; similiter facientes terram deosculentur. Quando dicatur, Resurrexit tertia die, omnes eleuētur: inter vtrumq; autem Pascha ad omnia ista inclinabuntur. Offertorio dicto, omnes sedebunt vsq; ad Per omnia secula præfatij. In omni missa, ad Gratias agamus Domino Deo nostro, flectentes genua, ad Dignum & iustum est surgent: & inter vtrumq; Pascha inclinabuntur. Ad Benedictus

ctus qui venit, omnes signo crucis se signabunt. Ad dicendū Sanctus, chorus contra chorū vertetur, ter pectus percutiēs. Dictis his, prostrabūtur ita vt bene hostiā eleuatā possint videre, qui sic erunt, vsq; dū dicatur, Per omnia sæcula ante Pater noster. Dicto autem Sed libera nos à malo prostrabuntur, vsq; ad Per omnia sæcula, ante pacem: surgēt vero omnes versus altare ad respōdendum Amē. Ad dicendum Agnus Dei, vertetur chorus contra chorum, quod omnes apud pulpitū cantabunt. Cōmunio aūt incipiatur in choro post calicis consumationem. Istis finitis, omnes ad sedes suas conuertentur; ad orationes autem inclinabuntur (vt dictum est). Ad Ite missa est & ad requiescant in pace stabunt fratres versus altare. Post missam maiorem dicetur sexta, vel nona, vel vesperæ in quadragesima. Vt dictum est supra.

QVALITER MINISVRETUR AD MISSAM MAIOREM IN ALTARI. Cap. XXI.

CVM ante missam maiorem, siue tertia, siue alia hora incepta fuerit ī choro, nullus extra chorū remanere præsumat, sed Sacerdos dicturus missam maiorē, incipiat horā, et sint in choro etiā Ministri & dicto primo Psalmo de hora exeāt de choro accoliti cū subdiacono & vadāt ad sacristiā, & lotis manibus accoliti induantur superpellicijs, vel tunicis, & subdiaconū adiuuēt ad induēdū, & induto subdiacono, accoliti ascēdāt ad gradus altaris, & ponāt candelas accensas super altare. paratoq; altari, descēdāt & præparēt cereos et cādelabra

gestatoria, vt cũ sacerdote exeant. Ad secundũ aũt Psalmũ exeat de choro diaconus & adiuuet ad eũ induẽdũ sub diaconus. Ad tertiũ vero Psalmũ exeat sacerdos de choro, & subdiaconus, & diaconus eũ adiuuẽt ad induẽdum, & induatur, dicẽs orationes, vel Psalmũ Miserere (vt supra dictũ est) & cũ omnes sint induti, & in choro inceptũ fuerit Gloria Patri post introitũ sic exeãt, vt accoliti præcedant, vnus ad dexterã, alius ad sinistram, medius aũt eorum eat subdiaconus ferẽs calicẽ statim exeat diaconus ferens textũ Euãgelij, post omnes exeat sacerdos dicẽdo voce submissa Psalmũ, Laudate Dñm omnes gẽtes. & c. Sed diebus totis duplicibus, subdiaconus ferat crucẽ nudã quæ portatur ad processionẽ, sine ligno & apparatu. Sed quãdo ista crux portatur ad cõfessionẽ subdiaconus ante omnes ascendat ad altare, et in medio, versu vultu ad sacerdotẽ flexis genibus teneat crucem eleuatam cum reuerentia vsq; ad finem confessionis. Quam traddat sacerdoti ad adorandum in fine confessionis, & incuruatus sacerdos (cæteris prostratis) deosculetur ipsam dicẽs, Adoramus te Christe. Cruce adorata, dicatur hæc oratio consciẽtias nostras & c. Interim subdiaconus ponat crucem in sinistro cornu altaris. Diaconus vero ponens missale in dextero cornu altaris super paruum analogium, ipsum aperiat & præparet officium dicendum Sacerdoti. Ministri autem interim (extinctis candelis) deponant candelabra, vnum in dextera, alterum in sinistra parte pauimenti, seu de ambulatorij altaris. His autem factis, & missali præparato diaconus ad dexteram, subdiaconus ad sinistrã, medius vero sacerdos, retro tamẽ ipsos (stãtibus accolitis) incipiat

sacer-

Sacerdos Adiutoriū nostrū in nomine Domini, & post quā Sacerdos dixerit duas dictiones de introitu, statim, omnes simul prosequantur ipsum, sed versum vsq; ad mediū Diaconus solus inferialibus dicat, & diebus festiuis, simul Diaconus, & Subdiaconus eundem versum vsq; ad medium dicant, & similiter fiat ad Gloria Patri. Sed diebus totius duplicis, quibus mandatur introitus triplicari in choro, etiam in altari triplicari debet. Dicto vero introitu, statim in illo cornu altaris, incipiat Sacerdos cum Subdiacono, & cum Ministro ex parte Sudiaconi, stante Kyrie. Et Diaconus cum altero Ministro respondeant etiam Kyriel. & sic alternentur vsq; ad finem Kyriel. Dictis vero Kyriel. retrahat se Sacerdos in medio altaris: Diacono stante in primo gradu retro Sacerdotem: subdiaconus vero retro Diaconum similiter in altero gradu inferiori. Sed si plures gradus sint, possunt esse duo gradus inter Sacerdotem & Diaconum, & inter Diaconum & Subdiaconum. Accolitis vero stantibus in gradis, Diaconis, vno ad dexteram, altero ad sinistram in modo æque distantibus: & similiter fiat semper stario ad altare: cum dicatur stent ordinatim. Sed quando stant Ministri, seu alias nihil faciendo: debent habere manus sub dalmatica honestiori semper vultu. Accoliti aūt habeant manus iunctas, & stantibus omnibus sic ordinatis, Sacerdos incipiat, Gloria in excelsis Deo. Et cū in choro responsum fuerit & In terra: accedant omnes Ministri ad Sacerdotem sicut in introitu, & dicant totum Gloria in excelsis Deo quilibet suum versum, sicut dixerunt Kyrie. Dicto vero Gloria in excelsis in altari, dum in choro cātatur idem hymnus: descēdāt ab

ab altari ſubdiaconus cum accolitis: & ordinati præceden tes ſimul Miniſtri, & poſt eos ſubdiaconus vadant in ſacri ſtiam, & ſubdiaconus ferat calicem tantummodo indutum palla, ſeu panno ſerico: Miniſtri autem vnus ferat hoſtiariū cū oblatis, aut panibus conſecrandis. Alter autem ferat ampullas in pelui poſitas, & ſic ordinati redeant ad altare: ſicut ab altari deſcenderūt. Iſta autem cæremonia deputando calicem & ampullis obſeruetur ſolummodo in feſtis totius duplicis: aliȷs aūt feſtis ſiue diebus, quādo accoliti vadant ad præparandum altare: portet vnus accolitus calicem cum hoſtiario, alter autem ferat peluim cum ampullis; vt poſtea non habeat cauſam deſcendendi ab altari pro eis portandis. Cum autem Sacerdos in medio altaris dixerit Dominus vobiſcum: omnes Miniſtri ſint ordinati coram Sacerdote. Sed dicto, Oremus: ſi ſola vna collecta dicitur, vel ad vltimam collectam ſi plures dici debent, deſcendāt ſimul ab altari ſubdiaconus cum vno accolito ſi defuerit thuribularius, quod ſi adſit dum Epiſtola dicitur erit poſt tergum ſubdiaconi, qua finita, aſsiſtentibus accolitis in primo gradu altaris flexis genibus, librum portabit ad locum vbi fuerit ſacerdos, & ſubdiaconus ferat epiſtolare & ipſum ponat ſuper pulpitum ad gradus preſbyteri contra faciē altaris. Dicta autem collecta vltima ſubdiaconus dicat Epiſtolam iſto tono.



QVAM in iſto tono terminabit.




DVM Epiſtola legitur alter accolitorum retro ſubdiaconum exiſtat, Sacerdos vero ſedeat ad dextrum chorũ altaris ſedente ad eius dexteram diacono, alter vero accolitus flexis genibus exiſtat verſus altare. Cantata autem Epiſtola, accolitus, qui eſt iuxta ſubdiaconum, miſſale ſeu epiſtolare aſſumat, ferensq; ipſum ſimul cum ſubdiacono (qui ipſum accolitum ſequi debet) coram ſacerdote flectens genua, librum aperiat: eum autem apertum teneat, vt ſacerdos & miniſtri altaris ſimul dicant Graduale. Diaconus verò & ſubdiaconus dicant verſum Gradualis: & dicta ab omnibus alleluya, verſus ab eiſdem dicatur, qui dicunt verſum gradualis. Dicta vero alleluya, diaconus & ſubdiaconus ad altare aſcendãt, & alter accolitus qui aßiſtit à parte Euangelij miſſale transferat in ſiniſtrum cornu altaris: alter vero accolitus qui aßiſtit loco Epiſtolæ, flexis genibus ampullas porrigat ſubdiacono, qui cum aliquali reuerentia ampullam vinariam offerat diacono: diaconus vero, à quo iam calix præparatus, & purificatore mundatus eſſe debet, accipiens ampullam, fundat vinum in calicem, dicens De latere Domini noſtri. &c. Et ſimili modo accepta ampulla aquæ fundat aquam, dicens, Commixtio vini

&

& aquæ, in nomine Patris. &c. Quod si festũ fuerit solẽne omnes ad sacerdotem proficiscantur ordinatim, subdiacono ferente ampullam aquæ, & diacono calicem patena illi supposita: quibus coram sacerdote positis cum genu flexione, sacerdos à subdiacono ampullam accipiat & à diacono patenam. Cum autẽ subdiaconus dixerit, Benedicite, dicat sacerdos Dominus, & infundat guttam aquæ super patenã & deinde super calicem, dicẽs, Commixtio. &c. In nomine Patris. &c. Quo facto, in altare conscendat: & diaconus à subdiacono accipiat hostiarium cum oblatis & ponat quot quot fuerint necessariæ communicandis (si dies fuerit communionis) alleluya in choro cantata, Sacerdos ad medium altaris accedat, & ibi facta inclinatione, retrahatur ad dexteram partem altaris, paululum separatus à medio altaris. Interim diaconus accipiat ab altari textum Euãgelij flexisq; genibus accedat ad sacerdotem accipiens benedictionem. Sed si Episcopus in Ecclesia fuerit, ab ipso benedictio accipiatur, & eius dexteram diaconus osculabitur, accipiatq; benedictionem, dicens, Iube Done benedicere. Sacerdote autem respondente Dominus sit in corde tuo. &c. In nomine Patris. &c. Si pater Minister missam celebrauerit, eius dexterã osculabitur: si autem aliquis alius missam dixerit, finem casulæ osculabitur tantũ. Cũ vero diaconus benedictionem acceperit, statim accedat thuribularius, habens sinistra manu thuribulum, & in dextera vasculum cum incenso, & flexis genibus coram Episcopo seu Sacerdote, similiter dicat Iube Done benedicere. Statim Sacerdos subiungat, ab illo benedicatur, in cuius honore cremabitur. In nomine Patris & filij. &c.

ſtatim præcedẽtibus accolitis cum candelabris portatorijs & candelis accenſis, & ſequente thuribulario cum thuribulo, nouiſſimus diaconus veniet, textum Euangeli ferens pectori adhærentem, quem ſuper pulpitũ ponet verſus Aquilonem in eminentiori loco in quo Epiſtola dicta eſt. Statim dicat Dominus vobiſcum, & Sequentia ſancti Euangelij. &c. In iſto tono.



CVM dixerit Sequentia ſancti Euangelij, faciat crucem in fronte cum pollice. &c. Cum dixerit ſecũdum talẽ. eandem crucem faciat in pectore. Stans autem ſacerdos in medio

medio altaris, cum nomen Euangelistæ audierit, retrahat ſe ad dextrum cornu altaris, habens faciem conuerſam ad Euangelium iunctis manibus. Subdiaconus vero acceptum thuribulum de manu thuribularij tradat diacono ex parte dextra, ante quam dicat In illo tempore. Accepto verò thuribulo, tantum textum thurificet, quo thurificato, tradat thuribulum ſubdiacono, qui ex eâdem parte dextra, non cõtra terga diaconi, ſed inter ipſum & pulpitum fumum mittat contra Euangelium nunquam dimittẽdo ſed ſemper thurificando, aliqualiter ſegregatus à diacono, ne attingat ipſo thuribulo ad diaconum, ſeu ad pulpitum. Diaconus verò habeat manus iunctas cum Euangelium legit vſq; ad finem. Accoliti eleuatis candelabris ſint coram diacono habentes vultus conuerſos ad Euangelium. Finito autem Euangelio, ſubdiaconus det thuribulum thuribulario, & diaconus accepto textu ſacerdoti tradat oſculandum: ſed diaconus nõ oſculabitur textũ, prius quam ſacerdos. Oſculato verò textu, ſtatim ſtantibus miniſtriis ordinatis, dicat Credo eo modo, ſicut dixit Gloria in excelſis Deo. Quo finito accoliti ſuis locis deponant cãdelabra. Dicto verò Dominus vobiſcum dicatur Ab omnibus offertoriũ, & dicto offertorio, ſacerdos iunctis manibus & eleuatis dicat. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Et ſtatim extendat dexteram manum & accipiat calicem & deſuper poſitam hoſtiam ſuper patenam de manu diaconi dicendo. Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo. Statim in feſtis totius duplicis tantum fiat thurificatio iſto modo. Diaconus porrigat ſacerdoti thuribulum præparatum: & ſacerdos cum eodem thuribulo faciat vnam crucem tãtum ſuper calicem dicendo. In nomine Patris & filij. &c.

Et tunc circumiendo calicem, tertio cum eodem thuribulo statim oblatio & Sacramentum: si in medio altaris sit, thurificabitur eo modo sicut ad vesperas, thurificato autem altari maiori, statim diaconus accepto thuribulo de manu sacerdotis ipsum sacerdotem thurificet tenendo casulā elevatā ex parte anteriori, et thuribularius. Si pater Minister missam celebrauerit, osculabitur eius dexterā: si alius fuerit, solum osculabitur finem casulæ (& sacerdote thurificato) statim subdiaconus thurificet diaconū, & thuribularius thurificet subdiaconum. Ista thurificatio super oblata solū fiat in festis totius duplicis, seu in celebratione primæ missæ noui sacerdotis, excepto si aliqua persona excellens, vel honesta, vel matrona vult aliquam festiuitatem celebrare, & hoc sumptuose fecerit & petierit, eadem thurificatio fiat. Festis autem duplicibus solum fiet thurificatio ad Euangelium & eleuationem Sacramenti. Sed festis tertio duplicibus & Dominicis diebus solum fiet thurificatio in eleuatione Sacramenti, thurificato vero altari, conuertat se sacerdos ad populum: Si sermo debet fieri, & dicente prædicatore Iube done benedicere, det ei benedictionem sacerdos dicens. Corroboret dominus sensum tuum, ac labia tua, vt digne pronuncies sua sancta verba Amen. Statim tradat ei finem casulæ, vel dexteram, si pater Minister fuerit osculandam, & statim ad sermonem sedeant sicut ad graduale. Post sermonem vero, vel post thurificationem (si sermo non sit) statim Sacerdos lauet manus. Cum autem secretæ dicuntur, subdiaconus stet in loco suo diaconus autem sit ad sinistram sacerdotis. Librum eidem præparando & aptum tenendo, & cætera necessaria administrando, cum vero peruentum fuerit

rit ad Gratias agamus, Ministri gradus superiores altares Ascendant genua flectentes, sed cum præfatio dicitur, Diaconus redeat in locum suũ, scilicet, faciendo stationem inter sacerdotem & subdiaconum, & cum sacerdos iunctis manibus præfationem terminauerit, tunc ministri altaris accedant ad sacerdotem, & simul dicant Sanctus: & ad quodlibet sanctus, percutiat pectus suum quilibet. Et cum dixerit Benedictus qui venit: omnes muniant se signo crucis. Et dicto Benedictus: subdiaconus accipiat patenam de manu diaconi & ipsam habeat in dextera manu super palliam, seu tobaliam, & alio panno tenui cooperiatur eadem patena & faciat stationem in loco suo, habẽdo semper curam & maximam aduertentiam ad præparandum librũ & cætera administrandum: seu prouidendum omnia quæ ad altaris officium pertinent. Cum sacerdos dixerit Communicantes. Incipiant accoliti cereos accendere, & accensis ascendant graduale flectentes genua, vnus ad dexterã alter ad sinixtrã, cũ aũt dixerit quã oblationẽ subdiaconus ascẽdat ad sinistrã altaris, & ponat super ipsũ patenã, dũ hostia & calix à sacerdote eleuãtur. Eleuato vero calice, accipiat patenã & reuertatur in locũ vbi prius erat. Diaconus vero accedẽs ad dexterã partẽ altaris à thuribulario thuribulũ accipiat & Eucharistiã & calicẽ thurificet ĩ eleuatione. In quã eleuatione eleuetur casula à tergo à Ministris & fiat thurificatio. Calice eleuato diaconus ipsũ cooperiat, et facta profũda inclinatione se inter subdiaconũ et sacerdotem cõstituat. Et notãdũ quod quoties diaconus, l. alius minister altaris accedit ad altare ad aliquid administrãdũ, ante administrationẽ faciat profundam inclinationem, & facto seruitio, seu administratione iterum faciat

aliam inclinationem, cum autem dixerit ſacerdos. Per quē hæc omnia, iterum aſcendant Miniſtri altaris ſicut prius, & facta inclinatione diaconus diſcooperiat calicem & eleuata vltima hoſtia à ſacerdote iterum deſcendant, prius diacono cum reuerentia ipſum calicem cooperiente, cerofe rarij vero cereos extinguant, & ſacerdos ſolen niori cantu dicat Per omnia ſæcula, & cum dixerit Panem noſtrum quotidianum, diaconus accedat ad ſubdiaconum cum maturo greſſu, & diſcooperiat patenam. Et cum ſacerdos dixerit, Et ne nos inducas, diaconus accipiat patenā diſcoopertam & cum genuflexione offerat illam ſacerdoti. Et cum dixerit Per eundem Dominum diaconus diſcooperiat calicem cum reuerentia. Et quãdo dixerit Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, ſurgant miniſtri altaris & dicant Agnus Dei ſimul cum ſacerdote, & ſtatim flectentes genua diaconus accepta pace, porrigat ipſam oſculandam ſacerdoti, et ipſe ſtatim deoſculatur eam, poſtea ſubdiacono deinde thuribulario & accolitis offerens. In feſtis verò totius duplicis et in diebus ſolēnibus, thuribularius portet ad chorū pacē accolito præcedēte. Qui facta inclinatione in choro corã Sacramēto, dabit pacē prælato oſculãdo eius manū, ſi pater miniſter fuerit. Deinde det pacē omnibus in eo choro ſtãtibus, poſtea vero Vicario det pacē & omnibus in eodē choro ſtãtibus. Et obſeruãdū eſt quod quãdo datur pax fratribus ſtãtibus ad pulpitū, quod retro ipſos datur, et nō tranſiēdo inter ipſos, & quãdo de vno choro debet thuribularius trãſire ad alterū chorū debet fieri trãſitus inter pulpitū & cãcellos. Data pace, redeat thuribularius cū accolito ad altare. Si aūt Epiſcopus, in Eccleſia fuerit prope altare diaconus ab altari deſcēdat & det pacē ſolūmodo illi,

diebus


diebus aũt quibus in cõstitutionibus mãdatur fratribus no ſtris nõ ſacerdotibus, ſeu ſacerdotibus legitime impeditis cõmunicare, ĩ eadẽ cõmunione hic modus ſeruetur. Fratres qui debẽt cõmunicare infra Agnus Dei, veniãt ad capellã vbi debẽt ſumere cõmunionẽ, & induti cappis regularibus proſternãtur prius ante altare. Et ſic proni in terra dicant Cõfiteor Deo. Et ſacerdos accepto ſãguine cõuerſus ad fratres dicat Miſereatur, & indulgẽtiam, poſtea vero ſurgẽtes fratres & flexis genibus ſtẽt corã altari dicẽtes, Credo in deũ &c. Poſtea dicãt tertio, Dñe nõ ſum dignus &c. ſacerdos vero tot formas paruas, ſeu hoſtias cõſecret, quot fratres debẽt illas ſũmere. Et dicto Dñe nõ ſũ dignus. Poſita corã cõmunicaturis palla ſeu tobalia lõga adhærente pectoribus eorũ ſacerdos miniſtret illis ſanctã cõmunionem. Prius cõmunicẽt miniſtri altaris, deinde bini et bini ſecundum antiquitates, & diaconus ſeu alius ſuper ſe debet cõmunicare: adminiſtret cõmunicãtibus vinũ & aquã mixtũ cõmunicati vero ab altari deſcendãt, dũ vero communicatio fit: fratres in choro ſtãtes cãtent Tantũ ergo Sacramentũ cũ verſibus Sequẽtibus qui ſufficere poſſunt vſq; omnes cõmunicent. Et poſtquã omnes cõmunicauerint: dicãt duos Verſ. Panẽ cœli dedit. Et chorus reſpõdeat & ſacerdos dicat orationẽ, Deus qui nobis ſub Sacramẽto, ſtãtibus cõmunicatis flexis genibus, & finiatur oratio Per qui viuis, & poſtea ſacerdos lauet manus & dicat Cõmun. Ad Dñs vobiſcũ & ad orationes ſacerdos & miniſtri altaris eodẽ modo ſe habeãt ſicut ad orationes quæ dictæ ſunt in principio miſſæ. Accoliti vero accẽdãt cãdelabra cũ ſacerdos dixerit vltimam orationẽ. Sed eſt notandũ. Quod quãdo in fine miſſæ ſacerdos dicit Dñs vobiſcũ, diaconus flectat genua

& deosculetur finem casulæ. Aut minimum si minister fuerit. Dicatq; statim Ite missa est (secundũ diei solẽnitatem.) His peractis, dicant flexis genibus, Salue Regina, & egrediatur eo ordine quo ingressi sunt. Et hic est notãdum quod Dominus vobiscum oremus, & orationes, eodẽ tono dicuntur sicut in vesperis & matutinis: per acta missa maiori et sacerdos & Ministri altaris vestibus depositis in sacristia ordine (vt solet fieri) ad chorum se conferent. Notandum est, quod omnes Dominicæ Aduentus, Septuagesimæ & Quadragesimæ & in orando, & in cantando sunt celebrãdæ ad modum nouem lectionem (exceptis infra octauis, vel octauo die Dominicæ Purificationis & trasfixionis Beatæ Mariæ: tunc enim tam in orando, quam in cantando istæ festiuitates ad modum tertij duplicis sunt celebrandæ: item hoc idem intelligendum est in infra octauis, vel octauo die Conceptionis Beatæ Mariæ) licet omnes Dominicæ totius anni celebrentur ad modum nouem lectionum: missa tamen solenniter cantabitur, propter Dominicæ solennitatẽ. Quod si in istis Dominicis quæ celebrantur ad modum nouem lectionum aliquis Sanctus contigerit, missa ad modum tertij duplicis cantabitur.

DE MODO SERVANDO à fratribus in choro & altari, quando dicitur missa de feria, vel de vigilia. Cap. XXII.

ASSISTENTES fratres iuxta pulpitũ (vt supradictum est) tantummodo cantor à suo loco introitum incipiet: & eodem prorsus modo dicet versum

versum & Gloria Patri. Ad Kyries in suis sessionibus prostrabuntur versus altare. Cantor autem & chorus Kyries cantabunt isto modo, quod cantor solus primum Kyrie cantet, chorus autem secundum, solus autem cantor tertiū & sic alternatim & gradatim Kyries dicentur, vsq; dum finiantur dicente cantore vnum, & choro alterū (excepto tamen vltimo Kyrie, quod à cantore incepto: totus conuentus prosequetur) vltimo Kyrie dicto, omnes fratres surgēt. Adflectamus genua, flexis genibus erunt, vsq; dum dicatur, Leuate, tunc enim omnes erigentur. Quandocumq; prophetiæ cōtigerint, eodem tono cantabuntur, quo Fratres sobrij state, quod ad Completorium solet dici. Terminabuntur autem in isto tono.



DICTA prohetia, cantor Responsum incipiet: quod chorus prosequetur. Solus vero cantor dicet, versum responsi, iterum non repetito Responso. Hoc etiam idē fiet, quando multæ contigerint prophetiæ (excepto versu, quem non dicet cantor, sed qui prophetiam dixerit) istæ vero prophetiæ dicentur à fratribus superpellicijs indutis (secundum eorum antiquitatem) ita vt in Vigilia Resurrectionis, Spiritus sancti, quibus festiuitatibus antiquiores primas dicent prophetias, in cæteris verò vigilijs è cōuerso fiet. Finita Epistola, dicetur Responsum, cātor autē dicet versum, & repetetur totū Respōsum, quod impositum à canto-

á cātore prælatus cātabit, illud verò totus deinde chorūs prosequetur. Notādū præterea valde est, quod in quadragesima maior missa vnaquaq; die de feria debet celebrari (exceptis aliquibus diebus festiuis, l. quādo missa deuotionis, propter alicuius singularis personæ speciale devotionē celebratur) feria secūda, quarta & sexta tractus sequēs debet dici, Dñe nō secūdū peccata nostra, quē cantor solus dicet vsq; dū perueniat ad illud. ℣. Quæ fecimus nos: quē etiā chorus prosequetur dicens, Neq; secūdū iniquitates. &c. Cantor aūt imponat versum. Dñe ne memineris, vni de assistētibus in choro, quē solus dicet, vsq: dū perueniat, ad Antiquarū, deinde chorus eū prosequetur. Alterū autē versum qui incipit Adiuua nos, impositus á cātore incipiet prælatus stans in medio chori omnibus flexis genibus quē prosequetur vsq; ad Salutaris noster: tūc. n. omnes surgēt aicētes, Et propter glo. &c. Offertoriū cū cæteris, quæ cātantur, cātor incipiet. Sāctus á fratribus dicētur in suis sessionibus flexis genibus. Primū cātor incipiet Cætera aūt chorus prosequetur vsq; Sabbaot. Cātor præterea dicet Pleni sunt, chorus Prosequetur cœli et terra, vsq; ad Osanna in excelsis. Nullus inde vltra progrediatur vsq; dū hostia eleuetur. Tūc. n. cātor incipiet Bñedictus, prosequetur chorus Qui venit. Agnus eodē modo, Quo sāctus, dicētur: cātore semper Agnus Dei dicēte & eū choro prosequēte vsq; ad finē. Inter vnū et alterū agnus breuis morula erit. Quādo dicatur Humiliate capita vestra Deo inclinabitur chorus cōtra chorū. In altari etiā sacerdos & Ministri eisdem Prostrationibus vtētur ad fle. &c. Adiuua nos. &c. Et humiliate ca. &c. Cætera aūt fiēt. prout notatū est in capite de missa maiori. Notandum etiam est, quod in quadragesima velum ante

altare

altare ponitur: quod extensum debet esse in omnibus horis, quando festiuitas de feria celebratur, & in octauis simplicibus, item quando missa de feria cantatur. Corrugabitur vero siue comprimetur quando sacerdos & eius Ministri altare ingrediuntur, vsq; dum confessio finiatur, & quando dicitur euangelium, & quando hostia & calix & vltima hostia eleuantur, item quando dicitur Benedicamus Domino, donec sacerdos & eius ministri eggrediantur ex altari.

DE CAEREMONIIS quæ obseruantur in vigilia Natalis Domini, & nocte sequenti. Cap. XXIII.

IN vigilia Natalis Domini postquam lector in Kalenda dixerit, Iesus Christus filius Dei viui in Betlem Iudeæ nascitur, totus cōuentus pro veneratione sanctæ Natiuitatis Domini prosternitur, & facit breuem orationem, s. Pater noster Aue Maria. Tunc pater Minister, vel qui conuentum tenet, ab oratione surget & omnes pariter cum eo. Postea lector reliqua lectionis legit, & more solito lectionem terminabit. Ad maiorē missam omnia dicentur vt missale docet. In matutinis noctis sequentis quando dicitur nona lectio, vnus de sacerdotibus in tabula præ notatus, exit de choro & vadit in sacristiam, vel in choro quando pauci fratres in choro sunt, & induiditur omnibus vestimentis sacerdotalibus solitis ad modū diaconi: excepta casula, pro qua dalmatica induitur. Et dum.

Et dũ ſacerdos induitur, pater miniſter ſtans accipiet thus deferẽte ceroferario, vel thuribulario ad ſedem eius bene dicit: & mittit in thuribulum. Et cũ nonũ. Reſ. Poſt Gloria patri iterum reinceptum fuerit, exiens ſacerdos de veſtia rio cum proceſſione precedentibus candelabris & thuribu lo, Et ſubdiacono alba cum manipulo & tunica induto textum ferente vadit in capellam maiorem, ibiq́; coram altari maiori profunde inclinans, faciat breuem orationem, & ad patrem miniſtrum conuerſus petit benedictionem, & ſic legit Euangelium Liber generationis ſolenniter. Et dum legitur thuribularius paululum remotus, tollit à ſacerdote thuribulum. Quod & fieri debet in Epiphania Domini poſt nonum reſponſum, quando legitur euãgelium Factum eſt. Quo perlecto ſtatim. Te Deum laudamus incipitur à patre Miniſtro cantari de dextro choro circa finem Euangelij ei deferente: ſeu ipſum hymnum ei imponente & eum adiuuet ſacerdos, aut poſtquam Euangelium dixerit: inueſtiarium cum proceſſione reuertitur. Interim vero dum Te Deum laudamus Cantatur: ſacerdos qui primam miſſam cantare debet præparet ſe cum diacono & ſubdiacono. Et notãdum eſt, quod poſt Te Deum. Nec verſiculus, nec Deus in adiutorium dicitur. Sed continuo miſſa à cantore dextri chori incipitur. Et hanc primam miſſam debet celebrare Miniſter, vel Vicarius, officium autem ad dictam miſſam, Dominus dixit. Et in hac miſſa Miniſter, & Miniſtri altaris vtãtur veſtimẽtis precioſioribus; & dicatur Kyrie eley. ad tonũ, Orbis factor, Epiſtola apparuit gratia Euangelium exijt. Credo in vnũ. Et præfatio, & Cõmunicãtes. Et ſimiliter ad ſecũdã miſſã, & ad maiorem dicitur. Sed in hac

miſſa

missa, non dicitur in communicantes, & diem, sed noctē Sacratissimam. &c. Post communionem autem inchoantur in dextero choro Laudes per Antiph. Quem uidistis, & cantantur matutinarū laudes ex ordine. Postquā aūt Antiphona quinta absq; iubilo finita fuerit, statim sacerdos stās ad altare incipit Antiphonā, Gloria in excelsis Deo. Cantore de dextero. Choro ei deferēte chorus totā antiphonā per cātet. Et incepto cātico Benedictus, primo altare Maius thurificet deinde altare crucis, & postremo altare sanctæ Mariæ. Finito autē cantico iterum eandem Antiphonā, Gloria in excelsis Deo incipiat, & chorus per cantet. Qua cātata sine iubilo, sacerdos versus Ad populū Dominus vobiscū dicit. Et dicto Oremus, dicit Orationē post cōmunionem ita per collectā vnā, missa & matutinæ terminari debet. Quando autem extra chorum matutinæ dicuntur, vel aliquod impedimentū est: propter quod missa non potest dici. Tūc post te Deum, dicitur versus Tāquam sponsus, & Deus in adiutorium, & capitulum, & hymnus, Veni Redēptor gentiū. Et versus Benedictus, Et collecta: Præsta quæsumus. Quæ ad sextam etiam dicitur. Missam aūt de luce vnus de antiquioribus debet dicere in preciosis vestimentis. Officiū aūt erit lux fulgebit. Epistola apparuit benignitas. Euange. Pastores loquebantur. Cātor de sinistro choro debet secundā missam incipere, Et Gloria in excelsis ad altare defferre & cætera quæ incipienda sunt prouidere. Hac missa finita possūt sacerdotes vsq; ad primā priuatas missas celebrare. Et tam ipsi quam ministri altaris induantur solennissimis ornamentis. Introitus Puer natus. &c. Hac autem die fratres ad istam missam maiorem communicent.

De festo

DE FESTO PVRIFI cationis Beatæ Mariæ. Cap. XXIIII.

POSTQVAM dicta sit tertia, conuentus in capellam maiorem remeabit: Paterq́; Minister, vel qui celebrat officiũ cum ministris altaris eggredietur. Sacrista verò crucem, cãdelabra portatoria & pulpitum àparte Euangelij positum, parata habebit. Item mensam constituet cum candelis benedicendis, ysopum & vas asperforiũ cũ aqua benedicta, thuribulumq́; prunis paratũ. Quod si talis festiuitas dominica die cõtigerit, prius fiat ibi asperforium, benedicanturq́; deinde candelæ. Quibus factis, aqua benedicta aspergantur atq́; thurificentur. Cantabũt cantores añam, (scilicet) Aue Maria. Interim aũt, sacrista omnes candelas distribuet seruato ordine, ita vt primam patri Ministro largiatur; & sic gradatim per vtrunq́; chorum. Finita añã, datisq́; candelis, exeant fratres processionaliter per claustrum añas cantantes, quæ in processionario continentur (scilicet) Adorna thalamũ tuũ Syon. &c. Respõsum Accepit Symeõ. &c. Omnes verò ad capellam maiorem reuersi, duo fratres dicẽt versum (videlicet) Responsum Accepit Symeõ, &c. Cui omnes respondebunt, Nõ visurum se mortem. &c. Presbyter autem dicet oratio nem, s. Perfice quæsumus Dñe (prò vt continetur in nona) &c. Istis autem peractis omnes intro ingredientur. Tunc verò officium incipiatur (scilicet) Suscepimus Deus. &c.

Et sic

& sic tam processio quam missa finietur.

DE DIE SANCTI Blasij. Cap. XXV.

D*VM missa cantatur Rosmarinus, mirthus, panis sal & alia huiusmodi epiphoremata. In altari (vbi sunt candelæ) ponentur. Qua finita, casulam sacerdos deponet, & se vestiens solennem cappam, ad cappellam maiorem descendet cũ altaris Ministris thuribulario & aqua benedicta, & cruce, quæ ibi erit. Fietq; benedictio, vt liber ostendit.*

DE RITV ET CAEREmonijs seruandis in die Cinerum. Caput. XXVI.

D*VM sexta cantatur, Pater Minister simul & Diaconi præparentur. Finita autem sexta, conuentus ad capellam maiorem descendat, & quilibet portabit suam cappam (vt mos est) ibiq; erit crux & candelabra portatoria: item Pater Minister cum altaris Ministris superpellicio erit indutus, cappa & stola: erunt etiam duo sa sacerdotes singulis super pellicijs & stolis induti, qui quidem exibere tenentur populo cinerem. Cum igitur ad altare maioris capellã venerint, flectent genua, prælatus autẽ incipiet, dicens Intret oratio mea. &c. Omnes autem, qui sunt in choro, flexis genibus versus altare respondebunt*

primum versum Psalmorum pœnitentiæ. Quod si, ad euitãdam prolixitatem, Psalmi in choro dicti fuerint, dicetur primus Psalmus, vel Psalmus Miserere mei Deus. &c. Finito autem Psalmo, vel vltimo ex septem, chorus totã Antiphonam perficiet: at Pater Minister cũ altaris Ministris dicet primum Kyrie, cui chorus respondebit Christe eleyson, deinde verò omnes simul vltimum Kyrie cantabunt.

Dicto Pater noster, surgat Pater Minister stãs versus populum ad latus quoddam altaris & dicat orationes, quas manuale continet & absolutionem cum orationibus, quæ iuxta illam sunt. Facta absolutione, sacrista habeat paratos cineres & ysopum cum aqua benedicta: tunc autem pater minister benedicat cineri & aquæ benedictæ. Dicta verò benedictione, & responso à choro amen, cantor incipiet Añam Exaudi cum psalmo Saluũ me fac. &c. Dicatur autem tot versus, quot fuerint necessarij, dum tamẽ ad vnũquemq; Antiphona Exaudi repetatur: ad vltimum versum dicatur Gloria Patri & etiam repetatur Antiphona, quæ dum cantatur, Pater Minister stans super gradus altaris ponat cinerem omnibus sacerdotibus qui ibi sunt in capite & Ministris altaris. Notandum tamen est, quod cinis ad modum crucis religiosis clericis & sæcularibus ponendus est, laicis sæcularibus & monialibus in fronte, vnicuiq; autem dicat cinerem constituens, Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris ideo age pœnitentiam & viues in æternum. Vnus verò ex sacerdotibus ponat cinerem patri Ministro, conuentus autem accedet ad patrem Ministrum vt ab eo cinerem accipiat, ita tamen quod bini & bini fratres accedant secundum eorũ antiquitatem qui flexis

genibus debent esse. Interim autem duo sacerdotes qui ibi sunt vadant ad ponendum populo cinerem, quo finito exuētur, & cappas accipiēt vt processionem cōmitentur. Finita vero Antiphona Exaudi. &c. Pater Minister in medio chori erit, & hunc versum dicet, Ostēde nobis Domine misericordiam. &c. Cum oratione Concede quæsumus omnipotens Deus cætera quæ in dominica quarta quadragesimæ solēt euenire ad matutinas. Istis peractis, cātor incipiet Antiphonam Iuxta vestibulum. Omnes fratres processionaliter per claustrum transibunt, vbi nulla fiat statio, vsq; ad Ecclesiam reuertantur: ibi autem finita Antiphona, quæ repetetur, quoties necessitas exegerit, dicetur iste versus Lætamini in Domino. &c. Cum oratione Infirmitatem nostram in cuius fine Per Dominum nostrum dicetur, quibus factis ad sacristiam reuertentur, vbi quiddā ad altare præparentur, quiddam ad officium celebrandum.

DE DOMINICA IN ramis palmarum. Cap. XXVII.

IN hac die Pater Minister missam maiorem celebrabit, verum dum tertia cantatur Pater Minister cum diacono & subdiacono ornamētis solennibus induentur. Paratis autem cruce & candelabris portatorijs, totus conuentus ad maiorem exeat capellam, qui cātabit Asperges. &c. Et aspergatur cōuentus. Finito aspersorio, pater Minister ramis benedicet, quos sacrista supra mensam paratos habebit in maiori capella ad latus

Euangelij item paratum habeat pulpitum tapete ornatum cum libro: Benedictos ramos aqua benedicta aspergat, qui etiam thurificabitur thure, quod paratū erit ad thurificādum Euangelium, quod ibi dici debet. Pater Minister (Benedictis & thurificatis ramis) ad locum suum cum diacōis ibit. Sacrista vero benedictos ramos accipiet, quos à Patre Ministro vsq; ad vltimum sui chori, & à choro Vicarij, vel ab antiquiori fratre vsq; ad vltimum distribuet. Dum autem rami distribuuntur, istæ duæ Añæ cantentur Pueri hæbreorum tollentes ramos &c. Et istam deinde Pueri Hæbreorum prosternebant vestimenta sua. &c. Istis tamen duabus antiphonis finitis, diaconus (à Patre Ministro recepta benedictione, stantibus etiam ibi accolitis cum candelabris portatorijs & thuribulario cum thuribulo) Euangeliū cantabit, scilicet, Cum appropinquasset, cum solennitate. Dicto Euangelio exeāt omnes fratres processionaliter cruce discooperta & candelabris & candelis accensis. Tunc autem altaria debent esse solenniter ornata imaginibus discoopertis. Tunc ista Antiphona Cum appropinquasset incipiatur, processio autem fiat per gyrum circundantē Ecclesiā absq; vlla statione. Cantata ista prima Antiphona, si necessarium fuerit cæteras cantare cantentur. Quādo processio ad Ecclesiam reuertatur, ante portas fiet statio, & istud Responsum cantetur circundederunt: tres itē fratres cantent versum, scilicet, Quoniam tribulatio. Finito Responso, tres intro ingrediantur, portas Ecclesiæ, qui intus sunt, claudent, & dicent Gloria laus, cui chorus respōdebit Gloria laus. Qui intus sunt, dicant tres versus sequētes, ad quorum vnumquemlibet chorus respondebit Gloria laus. &c.

Omni-

Omnibus istis finitis, sacerdos accedat ad portas Ecclesiæ quæ clausæ erunt, tenensq; crucem in manibus dicet alta voce, Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ. Notandum verò est, quod istud debet dici ad modū lectiones. Tres item fratres qui intus sunt, dicent, istis finitis, Quis est iste Rex gloriæ. Tunc eodem tono Pater Minister dicat Dominus fortis et potens, percutiens portam semel cum crucis pede: deinde dicet tono altiori Attollite portas. &c. Et responso Quis est iste. &c. Dicat Dominus potens in prælio, iterum eodē modo portam percutiens. Tertio tandem & vltimo, tono altiori quā antea, dicet Attollite portas. &c. Postquam fratres, qui intus sunt, responderint Quis est iste Rex. &c. Dicet Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Taliter portas cum pede crucis percutiens, vt ipsæ portæ patenter aperiātur: tūc omnes processionaliter ad capellam maiorē remeabunt. Cantor vero incipiat istud responsum Ingrediēte Domino. Finito etiam responso Ingrediente Domino in maiori capela, dicat versum sequentem (scilicet) De ore Leonis. Pater Minister dicat tunc orationē Omnipotens sempiterne Deus. &c. Quæ est in processionario finita oratione conuentus se ad chorum conferet, & prædicator ascendet ad concionandū. Finita concione, ornamenta solennia (Cruce cooperta velo nigro & etiam altaris imaginis) auferētur. Tunc altaris Ministri cum sacerdote dalmaticis nigris & casula induētur, quas ad passionē dicendā deponent. Passio aūt sine benedictione & salutatione & candelabris portatorijs & sine thuribulo dicetur. Subdiaconus aūt, dū passio dicitur, stolā sumet, qua finita, eam deponet. Accolitus cru

cem coopertã iuxta diaconũ habeat. Quando diaconus in passione dicat emisit spiritũ, sonitu vehementi percutiat librum & genua flectat, quæ genuflexio per breue tẽporis spacium durabit. Finita passione, sacerdos casulam sumet, diaconus autem ad dicendũ Euangeliũ benedictionem accipiet, ad cuius prolationem portatoria candelabra incẽdentur, loco vero thuris cũ Myrtha thurificabitur: Euangeliũ autem alio tono cantabitur, quam in festis totius anni solet fieri. Finito Euangelio diaconi dalmacis induentur vt missã perficiant: modo enim dicto passiones tertiæ, quartæ & sextæ feriæ celebrabuntur.

DE FERIA QVARTA hedomadæ sanctæ, Cap. XXVIII.

IN ista die (Completis per actis) incipiet officiũ tenebrarum, ad quod dicendum, ante quam incipiatur, vnde quindecim cãdelæ in vno cãdelabro in fine & vltima parte chori constituentur. In fine autem vnius cuiusq; Psalmi, vna candela extingetur, prima (videlicet) à parte chori in quo inceptus est Psalmus. Istud tamen officium ad modum tertij duplicis cantabitur. Finita quinta Antiphona post Psalmum Laudate Dominum, mox Antiphona ad Benedictus incipitur à Patre Ministro & ab alio ex antiquioribus, quam chorus prosequitur. Cum vero Benedictus à cantaribus incipiatur, cereus medius qui vsque tunc solus ardens remansit, abscõditur: finitaq; Antiphona Post Benedictus, duo fratres ad gradus Sanctuarij stantes incipiant Kyrie eley. &c. Et choro respondẽte

idem

idem Kyrie, cātent versum Domine miserere, & cæteros versus quos antiphorarius ostendit. Interim dū huiusmodi versus cantatur, fratres qui in choro sunt flexis genibus versi ad altare, ad finem singulorum versuū respondebūt Kyrie eleyson, seruato ordine qui ostenditur in libro. Quibus finitis, fratres qui illos versus cātauerunt, cantent versum Mortem crucis. Tunc Pater Minister incipit Psalmū Miserere, quē chorus alternatim prosequitur vsq; in finē. Interim dum dicitur Psalmus Se flagellis percutiant. Finito Psamo Immediate dicitur ab eo oremus & oratio (scilicet) Respice quæsumus Domine, quæ terminabitur per Qui tecum viuit. &c. Respondēte choro Amen, & sonitu à Patre Ministro dato, disciplina fratrum & matutinæ finiuntur simul. Transacto autem aliquo temporis interuallo, dū fratres induuntur, iterim dato sonitu à Patre Ministro, vnus illorum qui versus cantauerant, ostendens populo cādelam accensam, dicat, Ecce lumen Christi.

DE FERIA QVINTA in cœna Domini. Cap. XXIX.

ISTA die fiet absolutio à Patre Ministro post nonam isto modo, quod finita nona exeat ad altare vestibus & sine casula, diaconis absque dalmaticis & absque processionis apparatu accolitis etiam absq; candelabris concomitātibus. Diaconi flexis genibus, tūc vnus illinc alter, dicent Añam Exaudi & Psalmos pœnitētiales absq; Gloria Patri. &c. Chorum etiam eodem modo erit

flexis genibus. Quibus finitis, surgat pater Minister & induat se cappa solẽni, fiatq; ab eo absolutio: qua finita, reuertatur ad sacristiam & casulam sumat diaconis etiam dalmaticas sumentibus, accolitis candelabra portatoria præparantibus, & thuribulario thuribulum. In ista tamẽ die ornamenta sint solẽnia. Item nec in ista die nec in duabus sequẽtibus sacerdotes celebrabunt. In ista die omnes sacerdotes recipient Sanctissimum Sacramentum de manu Patris Ministri. Diaconus duas hostias, vt consecrentur, præparabit, quarum vna seruabitur & loco constituto custodietur vsq; in diem sequentem: altera verò consumetur. Tot tamen formas præparabit diaconus, quot viderit esse necessarias omnibus fratribus ex istis tamen formis consecratis, duæ vel tres, in loco occulto seruabuntur vt infirmis (secundum necessitatem) prouideatur. Ista die dicentur Agnus, nullo vero modo pax exhibebitur. Ter etiam respondebitur ad Agnus Dei. &c. Miserere nobis, dicta cũmunicãda, ibunt omnes religiosi per suas sessiones silenter & sine calceis ad recipiendum Sacrosanctum Sacramentum. Finita cõmunione fratres pedes calciabũt sacrista igitur ibi superpelliceo indutus palliũ præparatũ habebit cũ quattuor ceptris: ista tamẽ quattuor ceptra quattuor sæculares et illustrioribus et honorabilioribus portabũt subdiaconus verò portabit crucẽ, & diaconus thuribulũ, accoliti etiã candelabra portatoria. Pater Minister Sãctissimũ Sacramentũ manibus supra calicẽ vel patenã sumet, quod populo demõstrabit, istã alta voce cãtans Aũam, Hoc corpus: chorus Aũam Solenniter prosequetur. Postquã omnes Sãtissimũ Sacramẽtũ adorauerint, pater Minister versus ad altare In calicem

mittat

mittat illud, quē linteolo cooperiet, supra lenteolum deinde ponet patenā, insuper iste calix velo quodam nigro cooperiatur. Quotiescunq; hæc Aña (scilicet) Hoc corpus incipiatur, vultū ad populū vertet, quā Antiphonā totus chorus prosequetur: sic aūt totum claustrū transgredietur processionaliter nulla mora, vel statione facta, vsq; dū Sāctissimum Sacramentū in loco, vbi est fabricatū monumentū collocetur. Cum autem prope omnes accesserint, tantummodo Pater Minister cum diacono ascēdet, archaq; aperta, vbi corpus Domini est includendū, Sanctissimum Sacramentū quod erat in calice, Pater Minister assumes, populo demonstrabit, dicens Antiphonam Hoc corpus, quam (vt dictum est) chorus prosequetur, iterumq; Pater Minister constituat corpus Domini in calice, vt antea erat, quod, post quā thurificauerit, in archa claudet. Notandum tamē est, quod intus in archa debet esse ara quædam, pallium, corporalia, crux, tintinabulum & duæ ampulæ, clausa vero archa, cera purpurea fiet crux, quæ cudetur super archæ sera. Ascendet tunc pater Minister. cū diacono ad vltimum altaris gradū, ibi flectet genua, deinde processionaliter ad altare vadat, fratresq; omnes ad chorū simul ibunt. Facit præterea signū, qui præ est, & dicatur Pater noster secreto, quo finito, immediatè vespere incipiētur alto tono & solēni, dicentq; fratres Antiphonā calicem salutaris cum cæteris. Dū cōuentus vesperas cantat, pater Minister cū altaris ministris, dicat vesperas ibi. Quādo aūt quintus Psalmus finiatur, pater Minister in dextro altaris cornu aßistēs diaconis eius circūstantibus latera, incipiat Aňam de Magt, quam ei cātor imposuit. Finito cātico iterū Antiphonam, quam è

choro ei imponet cantor, incipiet, sicut prius. Finita Antiphona, quam conuentus prosequetur, dicet Dominus vobiscum. Diaconus vero dicat Benedicamus Domino, prout in festis totius duplicis cantari solet. Missa enim quemadmodum festiuitas festi duplicis, debet celebrari. Chorus tunc respondebit Deo gratias, & sic missa simul & vesperæ finiuntur.

DE ALTARIBVS abluendis. Cap. XXX.

POSTQVAM diaconus dixerit Benedicamus Domino, sacrista illico paratum habeat syndonem nitidum & album, altaria etiam sint præparata, aræ műdæ & absq; mappis & linteaminibus detectæ: Pater Minister tunc, sublata tantum casula non exeat ab altari, Ministris altaris depositis dalmaticis, diaconus manuale sumet, vbi sunt orationes, & subdiaconus ampullam vinariam vino plenam, quod per altaria debet spargere. Sacrista verò superpelliceo indutus habet scopulā versoriam & aquarium vasculum in manu, lauetq; altaria cum aqua eāq; vertat aridoq; linteolo ea mundet & sic ea reddat. Interim dum altaria abluuntur responsa matutinarū ordine in choro dicentur (scilicet) In monte Olíueti cū cæteris. Ista autē responsa cantabuntur, vsq; dum altaria iam sint műda. Supra vnum quodq; altare, pater Minister accipiens à subdiacono ampullam vinariam, ad modum crucis fundat vinum. Finita cruce, sciendum est, quod debet responsum terminari, incipiq; Antiphona, ad quem altare est dedicatum: post Antiphonam etiam dicatur Oratio & versus

Sancti

Sancti illius. Quibus per actis Pater Minister reuertatur ad sacristiam: item fratres qui sunt in choro eggrediantur & cappas deponant.

QVOMODO CANTANDA sit prima die Iouis, Veneris & Sabbato. Cap. XXXI.

IN die Iouis Sancti, dicto Pater noster subsilētio, immediate in tono dicetur Deus in nomine tuo. &c. Absq; Gloria Patri & Psalmus Beati immaculati in via. &c. Retribue. &c. Quibus finitis, responsum primū Matutinarū transactarū, scilicet. In monte Oliueti. &c. Dicetur: post cuius repetitionem dicetur versus Exurge Dn̄e. &c. Dictaq; cōfessione (vt moris est) absq; vlla salutatione dicet hebdomadarius Oremus cum oratione Respice quaesumus. &c. Et sic terminabitur hora prima feriae quintae. Est notandum quod in his tribus diebus vsq; Pascha, non dicitur praeciosa. In duobus diebus sequenti bus Veneris (scilicet) & Sabbati, vt in quinta feria factū est, fiet, dicentur enim responsa ordine seruato, in fine autem repetitionis nullus versiculus dicetur, sed immediate oratio pronūciabitur. Istis tamē duobus diebus, loco Psalterij septē Psalmi poenitētiales dicētur: sex etiā Psalmi qui diebus priuatis solent dici (scilicet) Deus Deus meus respice in me. &c. Cum caeteris absq; Gloria Patri & sine letania. In fine chorum psalmorum dicetur Añā Intret oratio mea, qua finita immediate dicatur Oremus, cum oratione

Respice

Respice quæsumus Domine.&c.Absq; Dominus vobiscũ & Benedicamus.&c.Prima tunc finietur cũPater noster subsilentio dicto. In ista die ab inclusione Corporis Christi vsq; ad Sabbatum sanctum Cymbala non pulsantur.

DE FERIA SEXTA in Parasceue. Cap. XXXII.

ISTA die post dictam nonam Pater Minister cum cæteris altaris coadiutoribus vestiatur ornamentis nigri coloris. Accoliti candelabra portatoria parata habebunt, sacrista etiam altare ornatũ habeat mappis tantum mundis pallijs coopertis. Finita nona quiddam subdiaconus superpelliceo indutus, & ante Sanctuariũ lectionẽ in tribulatione.&c.In tono prophetiæ & absq; titulo cantabit. Dũ autem legitur, Pater Minister casulã sumat diaconiq; dalmaticas nigri coloris, & altare ingrediantur. Notandum est, quod in ista die non debet esse linteamẽ in fronte altaris positũ, nec imago aut effigies Beatæ Mariæ, sed crux tantum cooperta in medio altaris. Nec quãdo sacerdos ad dicẽdũ officium ingrediatur cõfessionẽ dicat, sed tantum crucẽ adorãs flexis genibus dicat orationem, quæ est in fine breuiarij (scilicet) Deus qui manus tuas & pedes tuos.&c. Qua finita, tractũ dicet (videlicet) Dñe audiui.&c. Et quod post flectamus genua sequitur. Subdiaconus aũt qui ad altare est vestitus alterã dicet lectionem (scilicet) Dixit Dominus ad Moysen ad modũ lectionis et sine titulo. Qua finita, tractus solenniter à duobus fratribus etiã primus, tractus cãtetur. Per acto vno versu, alij duo et fratres

fratres alterum dicant. Demum tot versus dicantur, quot fuerint necessarij, vt interim ministri altaris possint deponere dalmaticas & casulā, quibus sublatis passionem cantabunt. Sacrista autem dum passio dicitur, ponat duas stolas ad modum crucis in altari vbi officium celebratur. Quādo diaconus dicat legens passionem, Partiti sunt vestimēta mea: sacrista vocet duos fratres, qui superpellicijs induti, hinc & illinc stantes, ita ad se trahant stolas, vt vnusquisq; suam ab altera disiūgat, quibus factis introibunt in sacristiam. Dicta passione sacerdos tantum casulam sumet; diaconis verò non habentibus dalmaticas, dicet orationes, ab oremus incipiens, dicat etiam orationem, quæ ad modū præfatij dici solet: qua dicta non respondeat Amen, sed immediate dicat Oremus tono solenni. Diaconus autem dicente Flectamus. &c. Prosequetur orationem tono selēni & submisso vsq; ad eius finem, quando Per dominum dicat alta voce dicet. Cum dicat Per omnia sæcula sæculorum solenniter, respondebitur ei Amen: quod obseruari debet in omnibus orationibus (excepta oratione quæ pro perfidis iudeis dicitur in qua non dicetur Flectamus, sed secundo Oremus dicto, dicet orationē in cuius fine respōdebitur Amē) dum istæ orationes dicuntur, fratres versus altare stabūt, Interim etiam, duo sacerdotes Induantur albis & stolis & manipulis, duo etiam subdiaconi albis & superpellicijs & sine manipulis vestiantur.

DE CRVCIS ADOratione. Caput. XXXIII.

Post

POST quam orationes finitæ fuerint, Minister sublata casula deponet calceos, quod tam Ministri altaris, qui ad eius dexteram partem collocabuntur, quam omnes fratres qui sunt in choro facere debent. Tunc verò duo præsbyteri, qui sunt vestiti, ad gradus altaris accedent, & ibi flectent genua, deinde surgentes sumant crucē à loco, vbi est: & sic coopertam ad gradus portabunt vnus à dextra alter à sinistra: versisq; vultibus ad conuentum, versum cantabunt Popule meus. &c. Quo finito, duo subdiaconi qui vestiti sūt versus altare stātes, Agios Otheos respondebunt: sed notandum est, quod quandocunq; isti subdiaconi dixerint Agios debēt genua flectere, quo finito surgent. In istis prostrationibus omnis conuentus stabit, vsq; dum finitis Agios, quandocunq; dicant Sanctus Deus. &c. Flectent genua, quibus finitis, surgent. Nunquam tamen Minister nec altaris Ministri flectent genua quādo duo sacerdotes, qui crucē tenent, istum versum inceperint (scilicet) Quia eduxi te per desertum. &c. Brachium crucis dextrū discooperient: quando autem dicant Quid vltra debui facere? sinistrum detegent. Quo facto, duo sacerdotes qui crucē absq; velamine habent, eam tradant patri Ministro. Ipse vero eam accipiat in manibus & versus ad populum istam Antiphonam incipiat Ecce lignum. &c. Conuentus autem cum cæteris Ministris, qui ibi sunt, Antiphonam prosequatur incipiens à Crucis. &c. Minister autem eam tenebit, vsq; dum Antiphona terminetur: quam duobus sacerdotibus qui antea eadem tenuerunt, tradat: vt eam in primo gradu Sanctuarij constituant ante altare. Ad hoc

erit

erit ibi stratum ornatum linteo mundissimo, vel tapete, vbi crux ponatur. Tūc duo sacerdotes qui albis & stolis sunt vestiti tenebunt vtrinq; Crucē, dum adoratur: & etiam singulis adorantibus ad osculum coaptantes. Pater. Minister veniat primus & extensus toto corpore crucem absq; vlla mora osculabitur: & iste modus seruari debet ab omnibus fratribus in adoratione. Adoratione à Patre Ministro facta, duo præsbyteri, qui eam tenent, crucem adorabunt, quam dum vnus adorat, alter tenebit: isto etiam ordine diaconi deinde subdiaconi cum cæteris altaris Ministris eam adorabunt. Post hæc illi duo præsbyteri Crucem portabunt ad gradum infimum Sanctuarij, ibidem tapete & pallia ad hoc paratis à sacrista. Ipsis autem præsbyteris Crucem (vt dictum est) tenentibus, accedunt fratres ad adorandum eo ordine, quo ad communionem accedunt. Dum autem Crux à fratribus adoratur, pater Minister cum alijs ministris iuxta altare flectentes genua dicant huiusmodi orationes.

ORATIO PRIMA

DOMINE IESV CHRISTE filij Dei viui, gloriosissime Cōditor mūdi qui cū sis splendor gloriæ coæternus æqualis Patri Sanctoq; spiritui: ideo dignatus es carnem ex immaculata Virgine sumere, & innocentes ac gloriosas palmas in Crucis patibulo permisisti configi, vt claustra dissipares inferni: vt humanum genus liberares de morte. Miserere mihi oppresso facinorum pondere, sordi

datum

datum multarum nequitiarum labe non me digneris derelinquere piissime Domine: sed indulge mihi quod impiè gesse exaudi me prostratum coram te adorandum gloriosam crucem tuam: vt merear tibi mundus assistere, & placere tuis conspectibus: vt liberatus à malis omnibus tuo sim semper adiutorio consolatus. Qui viuis. &c. Postea Domine Iesu Christe adoro te ascendentem, spineam coronam portantē in capite. Deprecor te vt ipsa crux liberet me de angustia, vel de Angelo percutiente. Domine Iesu Christe adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum. Deprecor te, vt tua vulnera sint remedium. Cum cæteris quæ sunt in fine breuiarij. Interim autem à conuentu cantētur Antiphonæ, Psalmi & Hymni (prout liber ostendit) ipsos si necesse fuerit replicando. Dum hæc aguntur sacrista aliam crucem extra capellam constituat, vt mulieres eam adorent. Postquam omnes adorauerint, eleuent eam, & Patri Ministro semper gradum sanctuarij contra altaris medium stanti tradant: tunc sacrista baculum crucis paratum habere debet: & coram patre Ministro tenere, Minister vero acceptam crucem baculo infiget, deinde baculum erigens incipiet Antiphonam: Super omnia ligna. &c. Et protinus conuentus genua flectat & prosequatur Antiphonam dictam, qua finita adhuc Pater Minister erectam crucem tenens dicat orationem, Respice quæsumus Domine. &c. Oratione vero finita: sacrista de manu Ministri crucem accipiens, statuat eam in loco suo retro altare. Crucis officio finito, præsbyter & altaris Ministri intrabunt, in sacristiā accipientq; ornamenta nigri coloris præsbyterq; casulam, & pedes calciabunt. Accoliti autē candelabra portatoria

incen-

incendent: sacrista etiam paratum habeat thuribulum cum thure et prunis, præparet etiam pallium cum sceptris aquā similiter & vinum, & Minister exiens ad altare cum altaris ministris (more solito) dicat confessionem. Deinde diaconus corporalia super altare extendat mappa supposita. Pater Minister præterea præcedente diacono, thuribulario cum thuribulo & accolitis, & subdiacono sine cruce vadat ad archam, vbi corpus Domini ab externa die est custoditum ibiq; ad secūdum gradum genua flectens, breuem faciat orationem. Deinde Minister (vt dictum est) cum diacono ad monumentum ascendat, & Corpus Domini ab archa inqua reconditum erat, extrahat, primo archam thurificet, deinde à calice sumat & populo corpus Domini, dicens Hoc Corpus. &c. Demonstret. Tunc sacerdos cum ministris deferat Corpus Domini processionaliter & solenniter qua externa die fuerat delatum, ad altare. Cum autem ad altare deuētum sit Pater Minister extrahat corpus Domini de calice, quod super corporalia deponet. Diaconus verò ipsi calici vinum & aquam infundat, & patri Ministro offerens tribuat: quo accepto, pater Minister offerat illud dicens, Suscipe Sancta Trinitas. Deinde diaconus ferat librum ad latus sinistrum, quo facto ad mediū altaris veniat, & ibi parum se inclinans, nihil dicendo eriget se, & dicet sub missa voce, ita tamen quod à cōuentu audiri possit, Oremus Præceptis. &c. Pater noster. &c. Quando dicat panē nostrum ostendat Corpus Domini populo vt ipsum reuerenter adoret. Perfectoq; Pater noster chorus respondeat in eodem tono Sed libera nos à malo, sacerdos dicat etiam in eodem tono Amen Sed libera nos. &c. Postea accepto cor

Nn *pore*

pore Domini, ipsoq; (vt moris est) retento, diuidat illud in tres partes (prout in officio missę dictum est) particulam de inde mitat in calicem nihil dicens, nec dicat Pax Domini, nec Agnus Dei, nec ei detur osculũ pacis: sed statim respõ so. á choro amen, prosternat se conuentus, donec sacerdos compleuerit orationes ante communionem, interim dũ sacerdos Corpus Domini consumit. surgens conuentus stet, sicut solent fratres versi ad altare. Peracta cõmunione, statim humili voce cantantur vesperæ finita Magt. & eius Antiphona dicet sacerdos Oremus, Dominus vobiscũ cum oratione Respice quæsumus Domine. & c. Quæ terminẽtur per qui tecum, sed chorus non respondeat Amen. Factaq; breuis oratione, sacerdos cum Ministris in vestuarium redeant, & vestimenta deponant. Sacrista mox vt sacerdos ab altari recesserit pallas super positas auferat, & crucem retro altare in repositorio suo deponat. Finitis vesperis, cõuentus exeat in dormitorium, & postea in claustrum, deinde percussa tabula vadant ad refectorium.

DE MODO SERVANDO in benedictione mensarum ad cænas & collationes, quartæ, quintæ, sextæ feriæ & Sabbati Sancti. Cap. XXXIIII.

CVM in refectoriũ intratur dicat lector Benedicite, respõdebit aũt conuẽtus Christus factus est pro nobis obediẽs. & c. Deinde dicatur subsilẽtio Kyrie cũ Pater noster. & c. Postea sedebit cõuẽtus, & subdiaconus ad legendum ascendat. In fine vero lectionis dicet surgite eamus, respon

respondebit conuentus In nomine Domini, datoq; sonitu, dicent silenter Pater noster, quo dicto à refectorio eggrediũtur. In collationibus dicent fratres sub missa voce, quando in refectorium inggrediantur, Pater noster. Ascendat illico lector ad legendum, terminetur itẽ lectio his verbis surgite eamus, dicensq; conuentus sub silentio Pater noster, de refectorio exibit. Sabbato sancto ad mensam dicet subdiaconus benedicite, cui cum ista Aña respondebitur Crucifixus resurrexit à mortuis & redemit nos in sanguine suo Alleluya. Ascendat deinde lector ad legendũ. In fine autem lectionis dicet Tu autem Domine. &c. Exibit quæ conuentus dicto silenter Pater noster.

QVOMODO MENSA benedicatur in paschate resurrectionis & eius octauis. Cap. XXXV.

CVM fratres in Refectorium intrauerint, dicat subdiaconus Benedicite, deinde respondeat conuentus Hæc dies quam fecit Dominus. &c. Cũ Gloria Patri, & Kyries & Pater noster sub silentio, dicat præterea hebdomadarius Et ne nos inducas in tentationẽ, & mẽsæ (vt de more habetur) Benedicat. Lector verò dicat Iube done benedicere: cui benedictione cõmuni respondeatur. Iste igitur modus Benedictionis in omni tam cœna, quam ientaculo seruari debet. Quando sonitus vltimus fuerit factus, dicet eodem tono, quo immensa legit, hæc dies quam fecit Dñs exultemus & lætemur in ea Tu autem

Domine.&c. Responso autem Deo gratias, descendat & in medio Refectorij alta voce intonet Alleluya, quã Antiphonam conuentus prosequetur suis notis (vt de more habetur) qua finita dicat Hebdomadarius Dominus vobiscũ cum oratione Præsta quæsumus omnipotens Deus & misericors Dominus.&c. Quam cum Benedicamus Domino terminabit & duplici Alleluya: quod obseruandum vsq; ad octauum diem Paschatis. In cæteris benedictionibus totius anni hæc est differentia, quod post gratiarum actiones in Ecclesia ab octauo die Paschatis Resurrectionis vsq; ad vesperam Sanctissimæ Trinitatis, dicitur Regina Cœli cum versiculo Ora pro nobis cum Alleluya & oratio Concede nos famulos tuos. A prima vero die paschatis Natiuitatis Domini, vsq; ad octauas purificationis Beatæ Mariæ dicitur Nesciens mater. &c. Cum versiculo Pospartum virgo & oratione Deus qui salutis æterne. Cæteris diebus anni dicetur gaude Dei genitrix virgo.&c. Cum versiculo Ora pro nobis.&c. Et oratione Protege Domine.&c.

ANNOTATIO IN VIGILIA Paschatis. Cap. XXXVI.

HAC die sacrista debet ante horam officij altaria parare: ita tamen quod vestimenta solennia & imagines discooperiantur, et cereum benedictum & pulpitum in loco suo statuat. Dum nona cantatur, Diaconus vestimentis sacris induatur stola, manipulo & dalmatica. Finita nona, sacrista patri Ministro in choro in loco suo stãti

stolam

ſtolam deferat, & coram illo ignitos carbones in patella te neat, quos ſacriſta ilice incenſos habebit lumine nouo. Tũc Pater Miniſter igni benedicit, & aqua benedicta (tribuẽte ei ſacriſta aſperſorium) aſpergit. Inter hæc omnia luminaria extinguantur, & poſtea de igne nouo & benedicto accendantur. Igne benedicto ſtatim diaconus de Sacriſtia procedens & ad gradum ſanctuarij contra veniens, ibidem ante altare ſe inclinet breuem faciẽs orationem: de inde ad Miniſtrum ſe conuertens humiliato capite petat benedictionem, quam Miniſter ei dabit his verbis Spiritus ſancti gratia. &c. Et ſic ſtans ad pulpitum cereo benedicit incipiens Exultet iam angelica. &c. (Prout liber docet) in terim ſacriſta ſtans iuxta diaconum in vna manu teneat in cenſum, in alia candelam de igne benedicto accenſam. Cum diaconus dixerit Suſcipe ſancte Pater incenſi huius ſacrificij veſpertini: tunc ipſe diaconus vnum granum incenſi cereo ponit, cætera quattuor grana ſacriſta formando crucem imprimit. De hinc vero cum diaconus proununciauerit, rutilans ignis aſcendit, ſacriſta de candela benedicto igne accenſa cereum flammeſcere facit. Sciendum tamen eſt, quod patella cũ benedictis carbonibus de ſanctuario efferri non debet, donec cereus aliquando arſerit, vt ſi forte extinctus fuerit, de eodem igne benedicto reaccendi poßit. Poſt quam cereus illuminatus eſt, de choro egreſſus Miniſter cũ ſubdiacono inueſtiario præparet ſe ad miſſam celebrandã. Completa benedictione cerei, protinus lectio ſequitur (ſcilicet) In principio creauit Deus Cœlum & terram. &c. Iſta lectio cum cæteris, quæ ſequuntur, inſuper pelliceis & ſine titulo legitur ſicut in vigilia Penthecoſtes incipitur à

Vicario:ita quod vicarius primam: cæteri cæter.: secundum gradus suos. In sabbatis quattuor temporum à minoribus incipiantur. Interim dū prima lectio legitur, Pater Minister casula indutus, præcedentibus Ministris sine dalmaticis, cum processione ad altare ibit, ibiq;(more solito) corā altari inclinet se, & breuem faciat orationē, & sic ad altare ascendat. Omnes orationes dicuntur præter Dominus Vobiscum(præter vltimam, quæ dicitur ante epistolā post Gloria in excelsis) post primam lectionem dicet Pater Minister primam orationem, incipiens, absolute Oremus, & sic de singulis(prout liber ostendit.)

DE LETANIA CANtanda. Cap. XXXVII.

DICTA vltima oratione, duo sacerdotes in medio chori genibus flexis cantent letaniam, vtroq; choro simul respondente, interim Pater Minister & Ministri altaris se deant in Sanctuario. In fine letaniæ vadant Ministri ad vestuarium & induātur dalmaticis: illi vero, qui letaniam cantauerunt, alta voce incipiant Kyrie. &c. Et Ministri gradus altaris ascēdentes dicāt cōfessionē, finito Kyrie, Pater Minister stās ad altare incipiat Gloria in excelsis, cantoribus qui letaniā cantauerūt imponentibus ei. Gloria cū incipiatur totum claustrum sonet, donec ipsa finiatur. Ad Euangelium lumen non seruetur, sed tantūmodo thurificetur. Credo non dicitur. Offertorium non cantatur sed præfatium, communicātes, hanc igitur(prout liber osten

ostendit) Pax Domini dicitur: Agnus vero Dei non dicitur. Pacis osculum non summitur, nec communio cantatur.

DE VESPERIS IN VIgilia Paschatis. Cap. XXXVIII.

POSTQVAM *Sacerdos cõmunicauerit, cantor incipiet in dextro choro cantans Antiphonam, scilicet, Quoniam in æternum. &c. Tripli catur Psalmus Laudate Dominum omnes gentes sine Gloria Patri: etiam Antiphona eodẽ modo triplicatur. Sacerdos stãs ad altare incipiat Antiphonã vespere aũt Sabbati quam prosequetur chorus vsq; in finem. Dicta Magnificat sine Gloria Patri, sacerdos iterum incipit prædictũ Antiphonam. Qua finita, dicat Dominus vobiscum & orationem. &c. Diaconus dicat Ite missa est duplici alleluya. Sic finietur missa & vesperæ, sed notandum est quod ista die solenniter ad missam debet pulsari.*

DE DIE SANCTO Paschatis. Cap. XXXIX.

NOTANDVM *est quod die Paschatis & eius octauario & omnibus dominicis diebus vsq; ad Ascensionem dicetur prosa, scilicet, victimæ Paschali Laudes vsq; ad Alleluya, qua prosa finietur. Item tribus diebus (videlicet) dominica die, secunda & tertia Feria finitis Vesperis totus Conuentus ad maiorem capellã descendet: vbi erit Crux præparata & candelabra portatoria.*

Ibi etiam erit quidam frater deputatus superpelliceo vel dalmatica indutus, qui in medio processionis cereum Paschalem portet. Stante cōuentu in maiori capella, omnes fratres stantes cantabunt responsum Christus (scilicet) Resurrexit à mortuis. &c. Quo Responso exibunt ad claustrum, in cuius secundo angulo dicatur oratio, quæ ad fontem est determinata. Terminetur autem processio cū altera sequēti Responso sedit (videlicet (Angelus. In capella vero maiori dicetur Oratio Ad crucem constituta: in cuius fine dicetur Per Christum Dominum nostrum. Isto modo finietur processio sine alia qualibet Antiphona vel oratione.

DE VIGILIA PENthecostes. Cap. XL.

SABBATO ante vigiliam dicta sexta prophetiæ cantentur (scilicet) Tentauit Deus Abraham. &c. à maioribus autem & antiquioribus incipiantur (vt in die Resurrectionis dictum est hebdomadarius vero & eius Ministri, breuem orationem facientes, cum incipiatur Prophetia, ad dicendas orationes intrabunt. Quibus finitis, in choro letania (vt in die Resurrectionis) dicetur. Interim hebdomadarius & Ministri sedebunt: qui in fine Letaniæ ad sacristiam se conferent, qui summentes dalmaticas accolitis præeuntibus cum candelis incensis & candelabris portatorijs solenniter ad altare intrabunt. Tunc Kyries à choro loco officij incipientur, dica-

dicatur in altari Confeßio & Gloria. Cymbala etiam & organa (velut in Sabbato ſancto) pulſentur.

DE DIE PENTHEcoſtes. Cap. XL.

DIE Sancto Paſchatis miſſam prælatus cantabit: qui poſtquam dictũ fuerit Alleluya, vertẽs faciem ad populũ de manibus Columbã albam proijciat dicens iſtum verſum primum qui eſt in proſa (ſcilicet) Sãcti Spiritus adſit nobis gratia. Repetatur iſte verſus poſt in Organis cum tribus verſibus iſto tono cantatis.



DE DIE TRANSFIgurationis Domini. Cap. XLI.

HAC die conficitur ſanguis Chriſti de nouo vino: ſi inueniri poßit, aut aliquantulum ſaltim de matura vua ponat in calice. Quare autem hoc fiat, hæc eſt ratio, in die cœnæ, dixit Dominus Ieſus Apoſtolis & alijs qui

cum eo cenabant. Amen dico vobis, non bibam à modo de hoc genimine vitis donec bibam illud nouum in regno meo, quia ergo dixit nouum & transfiguratio pertinet ad illum statum quem habuit post Resurrectionem: ideo quæritur in hoc festo vinum nouum, in quibusdam vero terrarum partibus benedicuntur racemi, & communicant inde homines & debent benedici infra Canonē cum peruenitur ad illum locum vbi legit intra quorum nos consortium: non estimator meriti: sed veniæ quæsumus largitor admitte, Per Christum. &c. Quorū benedictio sic fieri debet super altari fonte ipsis vuarum racemis pleno & dicto Per Christū: ante quā sacerdos sumat hostiam racemos benedicat dicēs Benedic Domine quæsumus hos fructus nouos vuæ quos tu Domine de rore cœli & inundantia pluuiarum & temporum serenitate atq; tranquilitate ad maturitatem perducere dignatus es & dedisti eos ad vsus nostros cum gratiarum actione percipere, In nomine Domini nostri Iesu Christi per quem hæc omnia Domine semper bona creas Sancti ✠ ficas, Viui ✠ ficas, Bene ✠ dicis & præstas nobis quo finito sumatur hostia more solito & dicat sacerdos Per ipsum & cum ipso, &c.

DE EXTREMA VNctionem-firmorum. Cap. XLII.

Q*VANDO infirmus vngendus est, debet hoc Ministro intimari, & tunc sacrista præparabit*

rabit Oleũ & stupas, vel pannum ad tergendam vnctionem, aquam benedictam, lanternam & crucem, his paratis & signo dato, omnes conuenient, sacrista tunc aduocat de iunioribus ad portandam Crucem & reliqua, qui Oleum portat, ibit post Crucem, ferentes alia praecedunt, & si Minister vnctionem facturus non est, Sacerdos hebdomadarius faciet & infirmariam cum processione intrabunt sacrista se cum feret stollam, cum manipulo, & ad introitũ dicet Minister, Pax huic Domini, & si ipse praesens non est Vicarius vel sacerdos hebdomadarius. Tunc accipiet stollam & superpelliciũ, & dicet, Dominus vobiscũ. Postea orationem Deus qui per Apostolum tuum, finita oratione, accedens ad infirmũ, dicet Benedicere. Tunc ipse infirmus humiliter roget Ministrum vbi stat, vt pro charitate superna, si quid erga eos deliquit, dicat eis vt dimittant sibi. Postea iubente Ministro dicet Confiteor Deo, dicto cõfiteor: orant pro eo fratres, dicentes Misereatur tui omnipotens Deus. &c. Postea Minister dicet Absolutionẽ & remissionem. Quod si laicus fuerit, faciat confessionem suam in lingua materna & erga Deum, & fratres se reum confiteatur, fratres ergo & Minister eo modo quo supra diximus respondeant. Quod si Minister fuerit qui vngi habet, similiter & ipse rogat fratres vt dimittant, si quid erga eos deliquit. Tunc fratres flectentes genua coram eo petant absolutionem, & humiliter eum rogẽt, vt ipse quoq; eis dimittat quidquid contra eum deliquerunt. Tunc ipse Minister dicet Confiteor, quo dicto fratres dicant Misereatur tui Omnipotens Deus. &c.

Ipse

Ipse subiungat absolutionem, qua dicta, surgũt fratres, et cantor incipit, intret oratio mea, tũc fratres cantant septẽ Psal. pœnitẽtiales, tũc accedet qui vncturus est eũ, & vngẽt Oleo sancto, & ad singulas vnctiones, ipsã vntionẽ cũ pãno lineo, vel cũ stupis detergat. Quæ post vnctionẽ ĩ pisci na comburẽtur: sacrista coram Ministro interim librũ teneat quod si statim communicari debuerit, finitis Psalmis. Afferatur cõmunio, cũ calice offertorio cooperto, & läter na & ampula, seu vinaria. Explectis omnibus quæ ad vnctionẽ pertinẽt. Sicut in manuali continetur, Minister, vel sacerdos, postquã orationẽ finierit, abluet manus suas cum sale in vase mundo & tergat cum manu tergio ibidem ad hoc præparato et ipsa ablutio in piscinam proijciatur, prius quã Minister infirmũ communicet à loquitur eum hoc modo, frater lectaris quia in fide Christiana morieris, respõdet lector: Gaudes quod morieris in isto sancto habitu? Respon. gaudeo. Fateris te male vixisse vt meritis tuis nihil boni tribuatur? Respondet fateor, Penitet hoc etiã. Confiteris te nõ tã bene vixisse quã debuisses? Resp. penitet. Habes volũta tẽ emẽdãdi si spatiũ haberes? Res. habeo. Credis quod prote mortuus est Dñs noster. Res. Credo. Agis ei gratias. Res. ago cõtestaris nõ nisi morte Christi saluari? Res. etiã. Age ergo dũ, & semper spem animæ & vitæ tuæ & totã fidutiã tuã in hac sola Christi morte cõstitue, & in nulla alia re fidutiam habeas. Huic mori te solum cõmitte, hac morte te totum contege, & si Dominus Deus voluerit te iudicare dic nolo tecum disputare: sed mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter me & iuditium tuum, aliter non conten do tecum, & si dixerit quod peccator es, dic: Domine

mortem

mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter te & pecca ta mea. Si dixerit Quia mereris damnationē, dic, Domine mortem Domini nostri Iesu Christi inter me & mala mea merita & ipsius merita ante te offere, pro meritis quæ debuissem habere & non habeo. Et si dixerit Quod tibi sit ira tua, dic, Domine mortem domini nostri Iesu Christi pono inter me & iram tuam. Hac confessione finita, deinde offertur ei crux à Ministro vt eam osculetur. Quod si non communicat Minister alloquitur post trinā orationē prius ante quā discedāt, ordinatim amplexabitur ab omnibus, primo à Ministro, deinde à cæteris & sic dicta oratione Exaudi nos. Cum processione reuertuntur ad chorum. De cætero ipse infirmus diligentius custodit, & à Ministro sæpius visitatur.

DE FRATRE MOriente. Cap. XLIII.

CVM fratrer penitus morti apropinquauerit, ad terram cilicium extendatur, & cinis desuper eius in modum crucis ✠ Aspergatur, ac inde supponatur, deinde pulsato signo in Ecclesia. Ocurrent omnes fratres velociter ad mouentem, dicentes Credo in Deum, bis, vel ter prius si nox est. Accensis lucernis custodibus in claustro, & in dormitorio, remanentibus, admouentem nullatenus currant. Sacrista Ministro stollam & manuale defferant. Et faciat aquam benedictam & crucem defferri, si ad refectionem sederint, audita tabula, velociter exeant omnes,

refecto

refectorarius remanebit. Quod si ad sonitũ tabulæ reliquiæ vltimi pulmenti de super mensas sublatæ fuerint innuente Ministro Tu aũt Domine. Et dicto breuiter verso Subiungente hebdomadario Agimus tibi gratias: statim exeant dicentes Credo in vnũ Deum. Similiter ad cœnam faciant, si iam prope finita fuerit. Si ad collationem fuerit, & fratres sederint dicat lector Tu autem. Post vero explecto desũcti offitio, si ieiunium fuerit, simul eant bibere. Sed si ad mãdatum, vel ad missam fuerit conuentus, vel ad horas regulares sint, exeant, illi quibus iusserit Minister, finita hora, nõ currant sed moderata cum processione dicentes Miserere mei Deus, & de Profundis, & si opus fuerit, Lauda anima mea Dominum finientes cum Requiem. Quod si finita regulari hora non dum obierit Currant dicentes Credo in Deũ. Cum ad alios peruenerint, dicant simul cũ illis qui primi ad morientem currentes peruenerint Letaniam. Qua finita, si adhuc vixerit, dicant Septem Psalmus pœnitentiales, quibus finitis, prout extimare possunt fratres, exitũ nõ in minere adiungant, quindecim Psal. Si aũt explectis his nõ dũ obierit, discedant relinquentes, ibi crucem & aquam bene dictam, & duos fratres qui Psal. cantent. Cum certa hora suæ migrationis affuerit percussa tabula, ad vocem fratres mox vt frater obierit. Incipient comendationẽ, facta comẽdatione, corpus abluãt, & in voluãt, quod dũ factũ sit, fratres se cessentes à defuncto ordinati, in quantum locus per miserit, faciunt plenariũ pro eo: completo offitio, dicãt horas Beatæ Mariæ, si eas dimiserant, & Psalmũ familiarẽ si eas dicere non habent, incipiũt Psalteriũ. Interim illi qui canonicã horã dici, ĩ Ecclesia intermiserãt, sedeãt, alicubi

&

& incipientes à capite vsq; ad finem perducant matutinas à capite non reincipiant, sed vbi dimiserant. Hoc autẽ sciendum est, quod conuentus si matutinas cãtauerit: audito sonitu tabulæ ipsas Matutinas ad Laudes terminabit (nisi forte dies ita prope fuerit, quod spletõ offitio funeris Laudes cõuenienter cantari non poßint.) Abluto ita corpore, & poßito in medio, congregatis fratribus intermittatur psalmodia, finito tamen Psalmo Quem inceperant: Tũc Minister resumens stollam & aspergens cum aqua benedicta corpus, & thurificans, dicant pro eo quod manuale docet. Quo dicto, imponat sacrista Libera me Domine. Et sic offerant Corpus in Ecclesiam tali ordine vt aqua benedicta antecedat deinde thuribulum, post modum lantherna, posteà crux, post crucem incedant fratres eo ordine, quo stant in choro. Post Minister cum stolla, deinde defunctus à quattuor fratribus quibus Minister iußerit sublatus, quos & conuersi sequantur. Si alius à Ministro fecerit obsequium, post crucem eat tenens librum, & stollã habens ad collũ. Veniẽtes in Ecclesiã, deponat in choro, mox vt proceßio Ecclesiam intrauerit. Iterum pulsentur signa, fratres qui benedictam aquam, et cætera portauerunt, stent ad caput defuncti, eo ordine quo venerunt Minister post eos. Finito cantu, & dicta Oratione, Tibi Domine commendamus, ponatur Crux, & duo cerei ad caput eius. Alij qui cætera portant, locis suis ea deponant. Et ibi præsens defunctus absoluatur. Et si prius aliquid intermiserunt, tunc compleant. Si refectionem intermiserant, nolla non percußa ad refectionem redeãt. Nec versus repetatur, nec lector benedictionẽ petat.

Sed

Sed incipiat vbi dimiſerat, ſic etiam in quadrageſima fiat. Qui vero nec dũ inceperant comedere, remanentes ad corpus, poſtea comedunt. Nunquam corpus ſolum Remaneat. Quod ſi hora nõ fuerit, vt regularis aliqua hora cãtãda ſit. Finita oratione, ſcilicet. Tibi Domine commendamus, reſidentes ſimul eo ordine quo ſunt in choro, incipiant pſalterium. Et Horas canonicas ſuis temporibus, ſicut in alijs diebus. Pſalmodiam intermittendo diligenter canant: & ex plectis horis, vbi dimiſerint pſalterium. Iterum reincipient.

QVA HORA ET DIE liceat ſepelliri. Cap. XLIIII.

Si ante Horam diei tertiam moritur, eadem die ſepelliatur, ſi poſt: in craſtinũ reſeruetur. Si ab hora tertia vſq; ad matutinas moritur, poſt capitulũ, ſepelliatur, ſi à matutinis vſq; ad tabulãmoritur, poſt matutinalẽ miſſam ſepelliatur, ſi inter tabulã & tertiam moritur, ad veſperas ſepelliatur.

QVOMODO FIENT vigiliæ pro fratre. Cap. XLV.

Si in æſtate obierit, in craſtinum reſeruandus. Vel eãdem die ante veſperas ſepeliendus, poſt prãdiũ vigilet dexter chorus vſq; ad ſonitum tabulæ, & dicta breuiter nona, ſi cantata non eſt, poſt ſonitum, eat tũc alia

alia pars & alta voce nonam cantet. Quando vero Ministro fuerit visum, exeant fratres qui dormiunt, & corpus sepeliatur, quod si in crastinum reseruatur, hoc modo in nocte vigiliæ fient post completorium, diuidat sacrista noctē in duas vigilias æqualiter, prout potest, vt & primam vigiliam vigilet dexter chorus. Et in finem circa huius vigiliæ cum eis visum fuerit, breuiter cantent matutinas, quibus peractis, & vigilia transacta pulsetur ad matutinas, cum ergo illi qui in prima vigilia dormierunt, de dormitorio venerint, alij exeant per retro chorum, & eant dormitum. Tunc hij qui remanent, sicut in alijs diebus facta trina oratione incipiant. Ad Domini cum tribularer clamaui, & deinde cantent matutinas: si à completorio vsq; ad matutinas obierit. Ab hora qua defunctus in Ecclesia aductus fuerit, quod superest noctis in duas vigilias diuidatur. Ita vt dexter chorus primus vigilet. Ad matutinas præfactas à matriculario secundum tempus tractetur, & alte cantent matutinas deinde dictis matutinis. Sinister chorus vigilet, quod si tali hora obierit, vt complecto officio defuncti vigiliæ diuidi non poßint. Pariter vigilent omni tempore sicut determinatum est, & ita fiat. Nisi aliqua rationabilis causa interueniat, & in festis nouem lectionum, etiam in alijs diebus duplicibus. Qui officijs deputati sunt, aßistant defuncto quando potuerint.

MISSA PRO FRATRE defuncto qua hora celebrabitur. Caput. XLVI.

QVOD SI TALIS dies fuerit in qua in capitulo dicatur Psalmus Laudate Dominum omnes gentes. Tunc post Psalmos dicta oratione, eant cum silentio in Ecclesiam & cantent missam. Quando vero post maiorem missam sepeliendus est frater, sit alis dies fuerit in qua missa de die, aut intermitti possit prorsus aut transmutari, Tunc missa de Die post primam cantetur, & Missa pro defuncto loco maioris missæ solēniter celebretur. Et ea finita corpus in terra conditur. In quadragesima tamen, & in diebus quorūlibet ieiuniorū, quando sexta ante maiorem missam dicitur si competenter fieri potest, Missa pro defuncto in cōuentu cantetur. Si contingat in quadragesima tres missas celebrari, in cōuentu, tertia fiat pro defuncto. Et breuiter cantetur: quod si in parasceue euenerit obitus, defuncti, nulli omnino, nec cōuentui, siue priuatim pro eo missam cantare liceat. Si in Sabbato sancto euenerit, poterit post Euangeliū solennis missæ priuatim cātari. Illa autem missa quæ in conuētu debetur. Seruabitur vsq; ad quintam feriam Paschæ, & tunc solenniter reddatur. Ita, scilicet, quod in precedēti quarta feria ante vesperas pro eo vigilia dicatur. In die Natalis Domini, & in die Paschæ, & in die Pēthecostes, si præsens defunctus fuerit. Post pro eo missa matutinalis cantari, in cæteris quoq; solennitatibus similiter fiat. Et si aliquando missa matutinalis de Sanctis cantari debeat. Intermittatur. Et pro præsenti defuncto cantetur. Missam pro fratre debet Minister cantare: & totum obsequium facere.

Quomo

QVOMODO CORpus traditur sepulturæ. Cap. XLVII.

CVM DEFERENDus est frater, per signum fratres conuocet matricularius, paratis illis qui Crucem, & aquam benedictam ferre debent. Vnusquisque Sacerdos habeat stolam & manipulũ, & ordinentur ad caput defuncti, hoc modo, prius aqua, postea lumen, deinde Crux. Vlterius Minister reuestitus thuriferarius iuxtra eum. Vt cum dicat Pater noster. Paratus sit cum thuribulo, finita prima oratione, incipiat. Resp. Subuenite, quo finito cãtent versum deinde Kyrie eleyson. Expleto ita officio eat thuriferarius in ordine suo primo inter lumen & aquam, Minister eat post crucem. Si non reuestitus fuerit post conuentum vltimus eat. Quattuor fratribus in superpellicijs tollant corpus tunc pulsetur signum. Quo vsq; sepultus sit. Cum ad tumulum peruenerint, Minister & fratres ordinent se ad caput fossæ. Dexter chorus ad dexteram partem sinister ad sinistram, corpus reponatur in parte media duo exportantibus depositis superpellicijs descendãt in fossam ad suscipiẽdũ corpus. Duo foris remaneant ad deponendũ. Cum Minister dicat Hæc requies mea. Aspergat corpus aqua, postea fossam. Deinde thurificato corpore thuribulo, illi

qui est in fossa traditur, vt ab eo iterum thurificetur. Moxq; deponatur corpus & iterum aspergatur à Ministro, & ab eo qui in fossa est. Quo peracto cum dictum fuerit. De terra plasmasti me, Minister super corpus terrã proijciet. Incipiens orationem Oremus fratres charissimi. Qua dicta elonget se paulũlũ á fossa. Et perficiat cætera quæ restant. Serdotes enim qui manualia tenẽt. In silentio dicant orationes. Solus Minister alteq; dicat. Consumatoq; officio obsequio. Incipientes Septẽ psalmus pœnitentiales reuertentur ad Ecclesiam in ordine: & ingreßi medium chorum, siue festum fuerit siue non, prosternentur seniores, ante gradus deinde alij post eos, nouißime iuniores. Interim Minister exuta veste sacerdotali prosternet se ante priores super gradus, quod si alius fecerit obsequiũ, exuat veste sacerdotali, prosternatur in primo ordine inter priores. Post Psal. dicitur Requiem eternam. Pater Noster: & sacerdos dicat, Et ne nos inducas, verso in memoria æterna erit iustus, verso animæ famulos famularũ. &c. Vers. Domine exaudi. Vers. Dominus vobiscũ. *Oremus. Absolue Domine animam famuli tui, & animas omnium fidelium defunctorum, Fratres qui extra chorum sint, si poßint ad sepulturam sint. Sin autem Ministro causam indicent.*

DE MODO SERVANDO in sepeliendis defunctis sæcularibus, Cap. XLVIII.

Si funus

SI FVNVS DEFVNcti vesperi contigerit; dicta vigilia sacerdos super pellicium stolam & cappā sumet, vt defunctus sepeliatur. Quod si mane cōtigerit, defuncti missa dicta, casulam deponet, & sumet cappā, & Ecclesiam egredietur. Cantor vero responsum incipiet, Credo quod redemptor meus viuit. &c. Sacerdos autem post tumulum stans, finito Responso, dicat Pater Noster, & versum, In memoria æterna. &c. Et Dominus vobiscum, & orationem, Non intres in iudicium. &c. Præmisso oremus, orationem finiet, cum his verbis per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem, respōsoq; Amen: aliud responsum cantabitur, scilicet, Memento mei Deus. &c. Dicto Pater noster, dicet versum A porta inferi, & orationem Fac quæsumus Domine. &c. Quam his verbis finiet Per Christum dominum nostrum: responso autem Amen, vnus ex cantoribus Antiphonam chorus angelorum alter cantor deinde incipiet Psalmum In exitu Israel de Egypto eodem tono, quo Antiphona cantatur. Quod si inter vtrūq; Pascha hoc contigerit, dicet Ego sum resurrectio & vita, canticum quoq; Benedictus Dominus Deus Israel qui Psalmus finietur, vel versus alternatim dicent, quos voluerint, istum autem Psalmum cum Requiem æternam finient. Inter autem corpus portetur vsq; ad locum sepulturæ: sacerdos etiam ad eandem sepulturā veniet accolitus qui ibi debet esse ysopum cum aqua benedicta paratum, & Sacerdos terram in manu habebit: qui posito corpore in sepultura ante quam terra cooperiatur,

terram quam in manu habet, in eius mittat sepulchrum, dicens, qui de terra est de terra loquitur, qui de cælo venit super omnes est. Dicto psalmo & repetita Antiphona, dicent responsum, Peccantem me quotidie. & . Vel ne recorderis. &c. Dicto autem Pater Noster, dicet sacerdos & nenos inducas in tentationẽ, & versum Non intres in iudicium cum seruo tuo: Dominus vobiscum, oremus, item orationem Inclina quæsumus Domine. &c. Cũ oratione Deus in cuius miseratione animæ fidelium. &c. Sub vno Per Dominum nostrum. &c. Responso Amen, sacerdos dicat Requiem æternam dona ei Domine, tunc fratres Requiescant in pace, dicent, & omnis chorus respondebit Amen: sacerdos tunc dicet Pater noster & sic funus finietur. Notandum tamen est, quod quando persona sepelienda, talis fuerit, quæ à conuentu exeunti recipiatur, exibunt fratres ad tumulum cum sacerdote & diaconis dicentes Psalmum De profundis. Postquam autem omnes ordine fuerint constituti iuxta tumulum, dicat Responsum & interim sepeliatur: est tamen valde notandũ quod quando corpus ad sepulchrũ attigerit, in omnibus funeribus subdiaconus, vel quilibet alius frater ad hoc deputatus crucem accipiet. ac colitis portantibus candelabra portatoria, qui apud sepulchrũ ad pedes defuncti cõstituetur. Tũc aũt crux thurificabitur, & deinde corpus: à parte dextra tumuli: si duo vero thuribula fuerint, duo thuribularij corpus vtrinq; thurificabũt. Licet crux & sacerdos quando corpus est sepeliẽdum perueniant ad sepulchrum, chorus aũt immobilis maneat, alter contra alterũ (sicut antea erat) quibus finitis reuertẽtur cũ silẽtio ad cõuentũ gradatim a quo egressi sunt.

Notan

NOTANDVM AVTEM quo ritu sint Infantes sepeliendi & quibus solennijs.

PRIMVM incipiat cantor Responsum, Memento mei Deus. &c. Quo finito statim Sacerdos dicat Pater noster vt moris est, Et ne nos inducas. Vers. In memoria æterna erunt iusti. &c. Et præmisso Dominus vobiscum mox pronunciabit Oremus Fidelium Deus &c. Quia peracta cantor iniungat Antiphonam Omnis Spiritus cuius prima tantum parte recitata. Cantor denuo inchoabit Psalmum Laudate Dominum in sanctis eius. Et Antiphona repetita dicat sacerdos. Vers. A porta inferi. Adiuncta oratione. Pro requiescentibus in cimiterio Deus in cuius miseratione. &c.

DEO GRATIAS.

SEQVITVR TABVLA OFFICIORVM.

Dominica.	*N.*
Hebdomadarius.	*Fr.N.*
Diaconus	*Fr.N.*
Subdiaconus.	*Fr.N.*
Accoliti.	*Fr.N.& Fr.N.*
Thuribularius.	*Fr.N.*
Teneant chorum.	*Fr.N.& Fr.N.*
Cantent inuitatorium.	*Tenentes chorum*
Dicat primam lectionem.	*Fr.N.*
Secundam.	*Fr.N.*
Tertiam.	*Fr.N.*
Quartam.	*ſubdiaconus*
Quintam.	*Fr.N.*
Sextam.	*Fr.N.*
Septimam.	*Diaconus*
Octauam.	*Hebdomadarius*
Nonam.	*Pater noſter miniſter*
Miſſam in mane.	*Fr.N.*
Et eius ſocius.	*Fr.N.*
Aliam Miſſam matutinalem.	*Fr.N.*
Miſſam ſecundam.	*Fr.N.*
Miſſam tertiam.	*Fr.N.*
Et ſic de ſingulis	
Pronunciator chalendarmu.	*Subdiaconus.*

Cantent

Cantent versum responsi ad missam.	*Cantores.*
Primum Alleluya.	*Cantores.*
Secundum.	*Pat.M.& Fr.N.*
Lector ad mensam.	*Subdiaconus.*
Seruitores ad mensam.	*Fr.N.& fr.N.*
Circator.	*Fr.N.*
Pulsator horarum diei.	*Fr.N.*
Pulsator auroræ.	*Fr.N.*
Vigilet ad Matutinas.	*Fr.N.*
Ianitor maior.	*Fr.N.*
Ianitor minor.	*Fr.N.*
In officio humilitatis.	*Fr.N.*
Cantet pro Rege & Regina.	*Pat.M.*
Cantet pro.N.	*Fr.Vicarius.*

Finis.

ET postea aßignentur si fuerint aliqui graduati bacha larij in Theologia, & procedatur secundum quantitatem capellaniarum, seruato ordine qualitatis sacerdotum; & finiatur tabula isto modo: Alij autem cantent pro statu & benefactoribus Ordinis nostri.

FVE IMPRESSO CON
Licencia del muy Magnifico señor
el Doctor Leço,
1573.

ERRATA HVIVS
LIBRI.

Onstraxit pro construxit, in Epistola Reuerendissimi Patris Prouincialis, ad vniuersos fratres.
Probibatis pro præbibatis ibidem.
Onimo pro animo in institutione nostri Ordinis.
Eram pro erant ibidem.
Persolutis pro persoluti ibidem.
Ascentione pro ascensione in Regula nostra. Cap. de abstin.
(Sclicet) pro scilicet ibidem cap. de charitate fratrum.
Gerentem pro gerente de communi oratione. Cap. 9.
Fautibus pro fructibus in modificatione de diuisione bonorum. Cap. 2.
~~*Vigilat pro vigilia Cap. 1 folio. 4.*~~
A mobiles pro mobilium. Cap. 3. folio. 5.
Secundo pro solum. Cap. 7. folio. 8.
Fratris pro fratres. Cap. 8. folio. 27.
Posttiuæ pro positiuas ibidem.
Res pro Rex. Cap. 27. folio. 50.
Alter pro altero Cap. 3. folio. 56.
In illi pro in illo. Cap. 4. folio. 58.
Minisuretur pro ministretur. Cap. 21. folio. 79.
Capellam pro capellæ. Cap. 26. folio. 89.
Sabbato pro Sabbati. Cap. 31. folio. 94.
In Cap. De extrema vnctione, lectaris pro lætaris.

INDEX ALPHABETICVS constitutionum, & ceremoniarum quæ in hoc volumine continetur, secundum seriem Ordinis Sanctissimæ Trinitatis & Redemptionis captiuorum.

D

nio

Mini.

Præla-

Receptio

V

Z.

FINIS.